1817

Cesar Magalhães

TABVLÆ RHETORICÆ CYPRIANI SOARII,

Sacerdotis e Societate Iesu:

QVIBVS ACCESSERVNT DVO LIBRI DE ARTE DICENDI:

In quorum vno de Rhetoricæ natura & caussis, in altero vero de partibus copiose accurateq; disputatur.

Auctore Ludouico Carbone a Costaciaro, Academico Parthenio, & Sacræ Theologiæ in Almo Gymnasio Perusino olim publico professore.

CVM PRIVILEGIO.

LIBERTAS

VENETIIS, M. D. LXXXIX.

Ex Officina Damiani Zenarij.

LVDOVICVS CARBO

ELOQVENTIÆ STVDIOSIS S.

AB eo vſque tempore, quo Cypriani Soarij Rhetorica ad meas manus peruenit; id autem fuit antequam in hominum lucem exiret; tale de ea iudicium feci; vt, ſi quando ederetur, maximam eloquentiæ ſtudioſis vtilitatem eſſet allatura. Quam meam de hoc libello ſententiam, iam re ipſa confirmatam eſſe video: cum ab ijs, qui dicendi arte delectantur,

non ſolum probetur, ſed etiam quotidiano vſu teratur: & id iure quidem optimo. Nam, & ſi multi huius generis extent libelli, quorum pęne infinitus eſt numerus: tamen, hunc vnum ob doctrinæ integritatem, methodi facilitatem, & breuitatem cum claritate coniunctam, merito omnibus pręferendum eſſe exiſtimaui: cum ex Fabio, M. Tullio, & Ariſtotele, optimis dicendi magiſtris, non modo vniuerſam doctrinam, verum etiam ſingula pęne verba Cyprianus ſumpſerit. Quo factum eſt, vt ego hunc potiſſimum auctorem ad nouos eloquentiæ auditores informandos explicandum ſępius ſuſceperim, atque alios ad idem faciendum induxerim. Et quoniam eam ſemper ſtudendi ac docendi rationem vſurpaui, vt quæ ab auctoribus fuſius dicuntur, ad ſummam aliquam redigerem, vel in tabulas referem;

ferem; idem in hoc libello explicando, vt adolescentibus laborem minuerem, & ad eloquentiam comparandam viam faciliorem, ac breuiorem redderem, olim efficere curaui. Et, vt hic meus labor non solum in vtilitatem eorũ, quos instituere solitus sum, cedat, sed etiam omnibus eloquentiæ perdiscendę cupidis, commoditati sit; volui, multis amicis ad id faciendum hortantibus, collectas ex Cypriani rhetorica tabellas in lucem dare: quibus duos de Arte dicẽdi libros, locupletissima eorũ, quæ auctor de natura, caussis, & partibus eloquentiæ docet, commentaria, adieci: in quorum altero eloquentiæ caussæ; in altero vero partes, copiose subtiliterque explicantur: quos decem alij eadem ratione cõscripti libri, aliquando sequentur: in quibus conficiendis dies noctesque desudo. Et quamuis has meas lucubratio-

nes omnibus ſtudioſis adoleſcentibus commoditati fore percupiam: tamen eorum priuatim cauſſa eas foras dare volui, qui ſcholas Patrum e Societate Ieſu frequentant; in quibus Cypriani rhetorica explicari ſolet. Nam, cum in iiſdem ſcholis ego etiam inſtitutus fuerim, mearum partium eſſe ſemper exiſtimaui, nō ſolum pium erga meos pręceptores ſtudium patefacere, quod hactenus, cum ſeſe mihi occaſio obtulit, ſemper feci, atque dum viuam voce, & ſcriptis faciam; verum ijs etiam prodeſſe, qui eundem tenerent, quem ego tenui meorum ſtudiorū curſum. Quare, non poſſum, non improbare quorundam hominum mentem; qui cum in eadem officina bonis literis informati fuerint, nullam animi grati ſignificationē erga optimos præceptores præbēt: immo, vt aliquid ſapere videantur, eorum docendi rationem nō

laudant:

laudant: vt omittam eos, qui maleuolentia moti, etiam reprehendẽdam putant. Quod dum faciunt, se parũ pios esse profecto ostendunt, cum ab optimis bonarum literarum & morum magistris, pueros bonę institutionis cupidos, retrahant. At vero ego ita sentio, & omnes honesti, & docti viri mecum sentiunt, inter alia singularia Dei Opt. Max. beneficia in Remp. Christianam hoc nostro seculo collata, hoc ponendum esse, quod Societatẽ Iesu, non solum ad rem Christianam conseruandam, defendendam, & amplificandã; sed etiam ad pueros vera pietate, honestis moribus, bonisq; literis ex instituto, instituendos, extare voluerit: ex qua honesta, & laudabili prouincia quantum vniuersus fere terrarum orbis vtilitatis capiat, nullius oratione plene explicari posse existimo: quam meam existimationem, ij veram esse fa

terentur, qui prædictæ Societatis progressum & res gestas, de quibus longissima scribi posset historia, perspectas haberet. Et, vt de recta puerorum institutione, ad reprimendam quorundam hominum petulātiam, aliquid dicam, Primum, eiusmodi in horum Patrum scholis adhibentur magistri, qui non solum humanioribus literis, sed etiam ceteris bonis disciplinis sunt ornati: quarum disciplinarum cognitio, quantum, vel ad ipsa Grammaticę pręcepta facilius tradenda, ne dicam ad Tullium, Cęsarem, Virgilium, & alios eiusdem ordinis auctores rectius explicandos conferat, quiuis, etiam vix literis tinctus, intelligeret: cuiusmodi magistros non vbique facile reperires. Tacebo hic vitę integritatem: de diligentia in docendo nihil dicam: cupiditatem progressus eorum quos docent, silentio inuoluam: quæ omnia in ijs,

qui

qui ſolum quæſtus cauſſa docēdi prouinciam ſuſcipiunt, haud facile inuenires. Quare, qui ſuos filios ad horum Patrum collegia erudiendos mittunt, ij, quæ in bonis puerorum præceptoribus deſiderantur partes, eas inueniunt omnes; docendi nimirum facultatem, diligentiam, & vitæ candorem. Maxima deinde in his ſcholis adhibetur cura, in bonis & honeſtis auctoribus eligēdis, quos magiſtri explicent, & pueri ſibi parent, & paratos legant: ne qua minus vtili, aut parū honeſta lectione, vel tempus inutiliter terant, vel animū aliquo pacto inficiant. Sunt præterea in horum Patrum collegijs diuerſę claſſes, diuerſis puerorum ordinibus accommodatæ; vt ita quaſi per gradus ad grauiores lectiones aſcendant. In vna, prima Grammatices rudimenta traduntur: in alia, qui maiores in re Grammatica progreſſiones

fecerunt, instituuntur: in alia, qui Grammaticos canones probe norunt, humanioribus literis Græcis, & Latinis imbuuntur: in alia denique artis bene dicendi precepta explicantur. In his itaque scholis, non vnus omnia, & omnes, vt in alijs fere omnibus ludis fieri solet, sed plures plura, & vnius ordinis discipulos docent. Ad hæc, in qualibet classe singulis diebus lectiones discipulorum ingenijs accõmodatæ explicantur, & explicatæ repetuntur, & repetitarum rationes diligenter requiruntur: ita vt eorum, quæ ad rectam auctorum explicationem, ad Grammaticæ, latineque linguæ obseruationem pertinent, prætermittatur nihil. Non fiunt in his scholis longe studiorum intermissiones, nec vllæ sine magna necessitate vacationes. Nam, cum hoc docendi munus reip. maxime necessarium, pietatis ergo hi docti religiosiq;

Patres

Patres susceperint, illud non facile prętermittunt, ne cessando se eo maximo fructu priuent, quem docendo se capere posse sciunt. Et cum nolim hoc loco hac de re longiorem habere sermonem, omitto priuatas singularum classium, & publicas totius collegij ad puerorum animos honesta æmulatione excitandos, & acuendos exercitationes: omitto priuatam magistrorũ in eos, qui maiores progressus facere student diligentiam, & operam: omitto Præfecti studiorum vigilantiam in classibus visendis, ne quæ ad meliorẽ maioremq; discipulorum institutionem communi consilio statuta sunt, prætermittantur: omitto priuatas Academias, & Congregationes, in quibus Christiani mores cum bonis literis, priuatis institutionibus, cõiunguntur: omitto denique multa alia, etiam ijs, quæ dixi multo maiora, quæ si ij

scirent

ſcirent, qui ignorant, & qui ſciūt perpenderent, qui horum Patrum honeſtos, pios, reique pub. maxime vtiles conatus non probaret, laudaret, ac foueret, reperiretur nemo. Quare, qui his bonarum artium, & morum inſtitutoribus ſe totos formandos tradunt, qui eorum diligentiæ reſpondent, qui eorum admonitionibus obediunt, breui temporis ſpatio, & docti, & pij euadunt: quod ſi qui non euadunt, ij non magiſtrorum, ſed ſuam accuſent negligentiam. Et, vt aliquando concludam, ad eos reuertor adoleſcētes, quibus priuato Dei beneficio contigit, vt eiuſmodi, de quibus ſcripſi, habuerint pręceptores, eoſq; moneo, vt de tanto munere prępotenti Deo gratias quam maximas agant: cum nihil poſſit puero honeſta ſtudia & pietatē colere volenti, cōmodius accidere, quā ſi optimum nactus fuerit inſtitutorem: ita vt

cum

cum Propheta dicere queat: Funes ce ciderunt mihi in præclaris: & vt erga suos pręceptores grato sint animo: cum nullus vnquam discipulus, qui in suos magistros extiterit ingratus, quod multis confirmari posset exemplis, in literis & moribus profecerit. Id, ij profecto facerent, qui eis, veluti parentibus, vllam parem gratiam se nunquam referre posse intelligerent. Illud etiam eos monuerim, vt suos spirituales Patres, vbi ipsi recte instituti fuerint, in iuuandis, & instituendis alijs, imitari velint; cum hoc sit opus quoddam plane diuinum, & reip. maxime necessarium: quod nos, quantum Deus Opt. Max. concedit, efficere in dies conamur: ac proinde hos nostros, & si leues labores, primũ in Dei gloriam, deinde in vestram vtilitatem, studiosi adolescentes, edere voluimus. Cum illud vere ac sapienter

ter a M. Tullio dictum fuisse existimemus, Nullum maius, meliusve munus reip. afferre nos posse, quam cum docemus, ac erudimus iuuentutem. Quod si hos duos de arte dicendi libros vobis gratos accidisse cognouero, omnes contendam neruos, vt intra paucos dies, de inuentione oratoria & dialectica opusculũ non pœnitendum, in lucem veniat. Valete.

Gratiæ Mariæ Gratij extenuati Philomathi, in Rhetoricam, Epigramma.

ALCMENA geniti quisquis mirare labores,
Et cecidisse vna tot fera mōstra manu:
Desine; maiores superat facundia casus,
Vtq; libet, Stygias itq;, reditq; vias;
Tu quoque monstra animi poteris, Nemeęq; leones,
Et Diomedęos sternere victor equos;
Tu quoq;, si, quidquid telorū CARBO *ministrat,*
Arripies, domitum vel Phlegethonta dabis.

Eiusdem Ode.

ARVIS *frugiferum dare*
Suetum fertilibus semen, in aridum
Quæ tete Eloquij solum
Promouit species? Sed nec in aridi
Versaris facie soli,
CARBO, *nec leuium lusus imagine*
Rerum, ad flexanimam stylo
Suadelam faciles vndique agis vias:
Namq; ille æthereæ Parens
Aulæ (quæ Superum larga benignitas)
Effusas gremio dedit
Cęlesti omnigenā diuitias manu.
Fama est progeniem malis
Humanam grauibus sollicitam, & fera

 Passim

Passim Quadrupedum fame
Discerptam querulis Numina vocibus
Appellasse regentia
Terras: Iapeto quin etiam satus
Audaci subijt polum
Nisu: & cœlituum concilio catus
Assistens miseris opem
Aerumnis petijt: Mollia Iuppiter
Tactus viscera, lacrimis
Turgentes oculos impiger ad Genus
Humanum tulit, ac pius
Alto Mercurium misit ab Aethere.
Hic tractus celeri secans
Pluma nubiuagos, hospes in exteris
Tandem suscipitur plagis.
Susceptum varij terrigenum Chori
Circumstant; faciem, pedes
Mirantur taciti, verbaq; dulcius
Hyblæ melle fluentia.
Hic ille Eloquij prompsit ab vbere
Cornu diuitias; manu
Partitusq; benigna, docili fuit
Vt quisque ingenio, modos
Diuino similes pectore protulit.
His tuti rabidos procul
Rictus quadrupedum arcebitis, &, malo
Monstrorum ore voracium
Compresso, faciles astra subibitis.

Tabulæ

Tabulæ Libri Primi

RHETORICÆ CYPRIANI SOARII,

Sacerdotis e Societate Iesu.

Quid sit Rhetorica, quod eius officium, & finis. Caput Primum.

Rhetorica.

- DEFINITIO; Est ars, vel doctrina bene dicendi.
- Quid sit ars. — Ars est, quæ constat quibusdam rebus, idest præceptis, cognitis, quæ vnum finem spectant, & nunquam fallunt.
- Quomodo facta sit ars. — Cum alij temere, alij callidius dicant, potuerunt notari ea, quibus alij melius dicunt, ex quibus ars fieri potuit.
- Quid sit bñ dicere. — Est optimis sententijs, Verbisque lectissimis dicere.
- Officium, est apposite dicere ad persuadendum.
- Finis, est persuadere dictione.

De digni-

De dignitate & vtilitate eloquentiæ. Cap. II.

Eloquentia est.

Digna,
- QVIA semper floruit & dominata est in omni libero populo.
- Quia nihil est iucundius, auditu oratione, ornata verbis, & sententijs.
- Quia nihil est tam magnificum, ac potens, quam animos hominum oratione conuertere.

Vtilis, quia
- Cõsilia maximis de rebus explicat,
- Languentes animos excitat,
- Effrenatos coercet, & cupiditatem frangit,
- Hortatᷣ ad virtutẽ, reuocat à vitijs,
- Laudat bonos, vituperat malos, & consolatur mœstos.

Et quo maior est eius vis, ne quis ea abutatur, eo magis est cum probitate coniungenda.

De matèria Rhetoricæ. Cap. III.

Artis materia.
- EST ea, in qua omnis ars versatur: vt medicinæ morbi, & vulnera.
- Quæ in omni arte est terminata, excepta dialectica & rhetorica, quæ nullis terminis septæ tenentur.
- Quare, màteria rhetoricæ sunt omnia, quæ in disputationem cadere possunt, & quæuis quæstio ad dicendum proposita.

De quæstione. Cap. IIII.

Quæstio.
- ALTERA, quæ dicitur infinita, propositum: græce, thesis; cum aliquid generatim quęritur: vt, an philoso-

- Est duplex.
  - philosophia sit perdiscenda.
  - Altera finita, q̃ controuersia, latine, dicitur; græce, hypothesis, cũ quæstio contrahitur ad
    - Personas, loca tempora, & negocia: vt
    - An Socrates fuerit iure damnatus ab Atheniensibus.
- Propositi, duo sunt genera.
  - Alterum cognitionis, cuius finis est sciẽtia: vt, an Sol sit maior terra.
  - Alterum actionis, quod refertur ad aliquid efficiendum vt, quibus officijs amicitia sit colenda.
  - Quæ transferuntur ẽt ad causas.
- Causarũ tria sũt gñа:
  - Iudicij,
  - Deliberationis,
  - Exornationis, siue laudationis.

De exornatione, deliberatione, & iudicio. Cap. V.

Partes		Tempus		Finis		Motus	
Exornationis.	La', & Vituperatio.	Tempus.	Præsẽs Preteritum.	Finis.	honestas, Turpitudo.	Motus.	Delectatio.
Deliberationis.	Suasio, Dissuasio.	Tempus.	Futurum.	Finis.	Vtilitas, Detrimẽtum.	Motus.	Spes, Reformidatio.
Iudicij	Accusatio, Defensio.	Tempus.	Præteritum.	Finis.	Punitio, Impunitas.	Motus.	Seuitia, Clementia.

Quomodo hypothesis, ad thesim reuocanda sit. Cap. VI.

CONSVLTATIO, ideſt queſtio infinita, eſt quaſi pars cauſæ, ideſt quæſtionis finitæ; quia in ea continetur. Quo fit, vt qõ vniuerſa totas cauſas ſæpe contineat: †

† a An

† Vt ecce: quæstio hæc finita, continet hanc,
An Aristotelis philosophia sit perdiscenda,
An philosophia sit perdiscenda, quæ est infinita.

Vnde id, de quo est tota quæstio traducēdum est ad perpetuam seu infinitam quæstionem:

Nisi cū de vero ambigitur, quod coniectura quæri solet.

Finita re uocatur ad infinitā: quia
Orationes, quæ latissime vagantur sunt ornatiores:
Et quæ de vniuerso genere dicuntur, valent ad iudicium ferendum de singulis:
Et quæ de vniuerso genere probantur, de parte etiam probari necesse est.
Vnde excellens orator, semper, cū potest, controuersiam a personis & temporibus auocat.

De partibus Rhetoricæ. *Cap. VII.*

Eloquentiæ partes sunt qnque:
INVENTIO, quæ est excogitatio rerū verarum, aut verisimilium, quę quęstionem probabilem reddant.
Dispositio, est rerum inuentarum in ordinem distributio.
Elocutio, est idoneorum verborum ad sententiarum inuentionem accommodatio.
Memoria, est firma animi, rerū ac verborum, ad inuentionem perceptio.
Pronunciatio, est ex rerū & verborum dignitate corporis & vocis moderatio.
Iudicium non est sexta pars, sed tribus primis est permixtū: quia non inuenit, qui non iudicat.
Sunt ergo quinque oratoris opera: Inuenire, Disponere, Eloqui, Memoria cō plecti, Pronunciare.

Quibus

Quibus rebus eloquentia comparetur. Cap. VIII.

Eloquentia comparatur.

- Quattuor rebus.
  - Natura, idest donis a natura tributis.
  - Arte, idest præceptis.
  - Exercitatione,
  - Imitatione,
- Natura præstat. Ex parte
  - Animi, celeres motus, ad
    - Inueniēdum,
    - Explicandum,
    - Exornandū, & memoriæ mādādum aptos.
  - Corporis,
    - Latera firma,
    - Canoram vocem,
    - Solutam linguam,
    - Oris & totius corporis conformationem.

Quę naturæ dona arte perfici ac limari pn̄t. Vnde, si quis his donis non sit ita instructus; tamen dicendi studium nō spernat: cū etiam in re præstantissima mediocritas honori sit.

De Arte. Cap. IX.

ARS orta est ex animaduersione naturę, id est eloquentiæ naturalis. Quare, non eloquentia ex arte, sed ex eloquentia ars orta est.

Ars sola non efficit eloquentem: quia cū omnes artem habere possint, omnes possent esse eloquentes, quod non ita est.

Vnde orta sit ars, & quid efficiat.

- Ars ergo pficit, quæ sunt a natura, dum
  - Monet, quo oīa sint referenda, quæ ad finem faciunt.
  - Indicat an recta sint, quæ habentur a
    - Natura,
    - Studio,
    - Exercitatione.
  - Efficit ne fortuito dicamus, & vt semper parati simus.
  - Est itaq; ars certior dux, quam natura,

De Exercitatione. *Cap. X.*

Exercitationis

- EFFECTVS, perficit, & conseruat, quæ ars expoliuit in natura.
- Vtilitas, sine ea nihil est egregium, nihil perfectum: sine qua nemo eloquẽtiam assequetur.
- Rõ, siue modus:
  1. Sumatur caussa tractanda similis earũ, quæ ad oratorem deferũtur.
  2. Non dicatur ex templo: quia peruerse dicendo, discitur peruerse dicere.
  3. Sumatur igitur spatium ad cogitandum, vt accuratius dicatur.
  4. Sed præstat scribere, cum stylus sit optimus dicendi effector.

Est autem Exercitatio triplex
- Alia orationis,
- Alia actionis,
- Alia memoriæ.

De Imitatione, *Cap. XI.*

Imitationis,

- VTILITAS, quia sine ea nemo satis proficere potest,
- Rõ, siue modus:
  - Proponatur aliquis summus in arte imitandus, quem tota mente intueamur.
  - Quæ sunt in eo summa diligenter prosequamur.
  - Qui hanc similitudinem assequi volũt, crebro de magnis rebus scribant, & dicant.

Imitatio est duplex
- Altera orationis, de qua dictum est;
- Altera actionis, qua omnis deformitas in agendo remouetur.

De Inuentione. *Cap. XII.*

Oratoris munera sūt duo:

- PRIMVM, inuenire ea, quæ valeant ad fidem faciendā: quæ speciatim fit in proposito.
- Alterum mouere amplificando, quod fit in caussis: Motus autē quattuor sunt species.
  - Molestia, } de malo { Præsenti.
  - Metus, } de malo { Imminēti
  - Voluptas, } de bono { Præsenti.
  - Cupiditas, } de bono { Venturo.

Est itaq;

- Molestia, opinio recens prçsentis mali.
- Voluptas, opinio recēs prçsentis boni.
- Metus, opinio impendentis mali.
- Cupiditas, opinio venturi boni.
- Opinio autem, est imbecilla assensio.

Quid Inuentio, Argumentum, & Argumentatio, Cap, XIII.

Quid sit

- INVENTIO, est excogitatio argumēti.
- Argumentum, est probabile inuentum ad faciendam fidem.
- Fides, est firma opinio, quæ argumentatione gignitur.
- Argumentatio, est argumenti explicatio, quæ apud oratores est fusior, quā apud dialecticos.
- Argumenta sumuntur ex locis.
- Locus, est argumenti sedes: seu nota, quā indicatur, q̃d in rebus peruestigare debeamus.

Quotuplicia sint argumenta. Cap, XIIII.

Argumenta alia sūt

- IN eo ipso de quo agit̃, & ideo insita dicunt̃: vt si probes eloquētiā esse expetendam, quia est ars bene dicēdi,

Extrinſecus aſſumuntur, quæ remota vocantur: vt ſi idem probes, quia Ariſtoteles id dixit.

De numero locorum. Cap. XV.

- *Loci,*
  - Intrinſeci, ſũt ſexdecim:
    - A definitione,
    - Partium enumeratione,
    - Notatione,
    - Coniugatis,
    - Genere, & forma,
    - Similitudine, & diſſimilitudine
    - A contrarijs,
    - Adiunctis,
    - Antecedentibus,
    - Conſequentibus
    - Repugnantibus
    - Cauſſis, & effectis:
    - A cõparatione
      - Maiorũ,
      - Minorũ,
      - Parium.
  - Extrinſeci, ſunt ſex.
    - Præiudicia,
    - Fama,
    - Tormenta,
    - Tabulæ,
    - Iuſiurandum,
    - Teſtes.

De Definitione. Cap. XVI.

- *Definitio*
  - Quid ſit.
    - Eſt oratio, quæ id, quod definitur explicat quid ſit: vt iſta oratio: Doctrina benedicendi, quæ explicat, quid ſit rhetorica.
  - Quõ fiat.
    1. Inuenitur aliquid commune rei, quæ definienda eſt, & alijs rebus: vt doctrina, vel ars, in definitione rhetoricæ.
    2. Inuenitur aliquid, quo, id quod definitur ab alijs differt; vt eſt, bene dicere, in allata definitione.
    3. Latius definit orator, quàm dialecticus; & verbis non ſolum proprijs, ſed etiam translatis.

Eſt au-

Eſt autem definitio oratori neceſſaria: quia ſępe explicanda eſt res, de qua quæritur.

Argumentũ a definitione hoc mõ ducitur.

Si vis probare ius ciuile eſſe vtile, ipſum definias hoc modo:
Ius ciuile eſt cognitio æquitatis:
At cognitio æquitatis eſt vtilis: igitur & ius ciuile.

De partium diſtributione. Cap. XVII.

PARTIVM diſtributio eſt, cum aliquod genus, ſiue totum in ſuas partes diſtribuitur; vt virtus, ſiue honeſtum, in quattuor partes. i. in iuſt. prud. fort. & temper.

In argumento a partium diſtributione ſumendæ ſunt omnes partes, ita vt nulla relinquatur.

Vt ſi velles probare calliditatem non eſſe virtutem, diceres, calliditas, non eſt iuſtitia, nec prudentia, nec fortitudo, nec temperantia, igitur nec virtus.

De Notatione. Cap. XVIII.

NOTATIO, ſeu etymologia verborum originem inquirit.

Ea ſæpe oratores, & poetæ vtuntur: hoc modo:

Conſul eſt, qui conſulit patriæ: non igitur Piſo conſul, qui eam euertit.

De Coniugatis. Cap. XIX.

CONIVGATA dicuntur, quæ ſunt ex verbis generis eiuſdem: vt ſunt, quę orta ab vno varie commutantur: vt ſapiens, ſapienter, ſapientia.

Argumentum ducitur hoc modo: Cum eſſet cauſſa conſularis, & ſenatoria, opus erat auxilio conſulis & ſenatus.

Item, pietas laudanda; igitur, & qui pie agit.

De ge-

De Genere, & forma. *Cap. XX.*

Quid sit

GENVS est, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas, aut plures continet partes.

Partes, quas genus amplectitur, formæ dicuntur: vt, virtus est genus, partes, sunt prudentia, &c. vnde

Forma, est pars generi subiecta.

A genere sic sumitur argumentum: virtutis laus in actione consistit, igitur & prudentię laus in actione consistet.

A forma, quod iustitia est, vtique virtus est.

De Similitudine, & dissimilitudine.
Cap. XXI.

Similitudo

EST quæ traducit ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile.

Ab ea sumitur argumentum hoc modo: Vt morbo affecti cibi suauitatem non sentiunt; ita auari gustum laudis non habent.

Ex dissimilitudine, seu differentia, hoc modo: si barbarorum est in diem viuere, nostra consilia sempiternum spectare debent.

De Contrarijs. *Cap. XXII.*

Contrariorum — Aduersa, quę inter se maxime distant: vt

- BELLVM, pax. — Argũ. — Bellũ est perniciosum, igitur pax expetenda.
- Virtus, vitium — Argũ. — Virtus sequẽda, igitur vitiũ fugiendum.

Pri-

quattuor sũt genera,

Priuantia sunt, habitus, & eius priuatio: vt	Vita, & mors, / Lux, & tenebrę.	Argũ.	Non sunt vltores mortis, Qui vitã non restituunt, si possint.
Quæ inter se cõferunt, seu relata; vt	Datũ, acceptum, / Dux, miles,	Argũ.	Si in accepto est laus, erit etiam in dato. Si discere est honestũ, ergo & docere.
Negantia, quorũ vnũ negat alterum.	Hoc est, / Hoc non est,	Argũ.	Est probus, quare non est improbus,

De Adiunctis, *Cap.* XXIII.

Adiuncta

Sunt ea, quæ cum re sunt cõiuncta; vt	Tempus, locus, apparatus, colloquia, rubor, pallor, &c.
Latissime patent; quę sumuntur ab	Aĩo, vt virtus, vitia, Corpore, vt pulchritudo, deformitas &c.

Argumentum. Vesperi visus est cum gladio stipatus, &c. ergo occidit. Est incredibili virtute constantia, & grauitate præditus, igitur fœdera non rupit.

De antecedentibus, & consequentibus. *Cap.* XXIIII.

ANTECEDENTIA sunt ea, quæ sic antecedunt consequentia, vt cum ipsis necessario cohæreant: in quo ab adiun-

adiunctis distinguuntur.

Argum. Ortus est Sol, igitur dies est.

Consequentia sunt, quæ rem necessario consequuntur: vt dies est, igitur ortus est Sol: luculentam accepisse plagam, declarat cicatrix.

De Repugnantibus. Cap. XXV.

REPVGNANTIA, neque certa lege, neque numero inter se diffident: qua ratione a contrarijs, & dissimilibus discernuntur: vt amare, nocere, & lædere repugnãt.

Argum. amat illum, igitur non insectatur conuicijs, non lædit.

De Caussis. Cap. XXVI.

Caussa
- Est, quæ sua vi efficit id, cuius est caussa: vt ignis, ardoris: cruditas, morbi.
- Est quadruplex:
  - Finalis, cuius gratia fit aliquid: vt hominis beata vita. Arg. homo est factus ad contemplandum, ergo non ad pastum.
  - Efficiens, a qua aliquid est: Sol diem efficit. Arg. senectus caret poculis, quare & temulentia.
  - Forma est ratio rei, & nota, per quam res est id, quod est, & ab alijs distinguitur. Arg. Animus hominis est immortalis, igitur ad æternitatem beatæ vitæ aspiret.
  - Materia est, ex qua, & in qua res sunt: vt statuæ æs. Argum. Corpus est mortale, ergo ab eo animus est seuocandus.

De

De Effectis. Cap. XXVII.

Effecta,

Svnt ea, quæ orta sunt de caussis: vt dies a Sole.

Sunt numero totidem, quot caussarum genera, cum quæuis caussa suum habeat effectum.

Cognoscuntur per suas caussas: quoniam quælibet caussa suum ostendit effectum: vt bellum est effectus pacis, quæ est finis belli: dies, Solis; homo corporis & animi.

Argumentum sumitur hoc modo: Virtus parit laudem, ergo sequenda; voluptas infamiam gignit igitur fugienda.

De Comparatione. Cap. XXVIII.

Hic locus tractatur tripliciter.

A comparatione maiorum: si non conuenit maius, neque minus conueniet. Vt clari ciues Saturnini & aliorum sanguine non se contaminarunt, immo honestarunt, igitur nec is, qui Catilinam, qui fuit ciuium interfector, occiderit.

Minorum: si quod minus videtur conuenire, conueniet etiam id, quod magis: Vt, surgunt de nocte latrones, vt homines iugulent, tu, vt te ipsum serues non expergisceris?

Parium, qui locus nec elationem, nec submissionem habet: vt

Non licuit Mamertinis fœderatis imperare nauim, ergo nec Tauromitanis fœderatis imperare licebit.

De argumentis remotis. Cap. XXIX.

Remota, siue assumpta dicuntur sine arte, non quod sine arte tractentur, sed quod ea non parit oratoris ars.

Quæ

Argumenta.

Quæ Cicero nomine testimonij complectitur: sed Quinct. diuisit in præiudicia testes, &c.

Quæ, vt ex se arte carent, ita eloquentiæ viribus sæpe alleuanda, & refellenda sunt.

Olim oratores cum caussas in iudicijs agebant, quæ ad hoc genus rerum pertinebant, meditata habebant: nunc, iudicijs ad Iureconsultos translatis, cognoscenda sunt, ad oratorum scripta intelligenda.

De Præiudicijs & testibus. Cap. XXX.

Præiudiciorũ vis omnis tribus generibus cõtinetur.

Rebus, quæ aliquando ex paribus caussis sunt iudicatæ, quæ exempla rectius dicuntur.

Iudicijs, ad ipsam caussam pertinentibus, vnde etiam nomen ductum est: vt in Miloniana.

Aut, cum de eadem caussa est pronuntiatum.

De testibus

Olim oratores multa pro testibus, & contra testes dicebant: vt patet in orat. pro Flacco.

Nunc iudiciorum mutata ratio, facit, vt ne is labor sit necessarius.

De vsu & vtilitate locorum. Cap. XXXI.

Qvi vult in dicendo excellere, habeat locos paratos, & expeditos.

Vbi res ad dicendum proponitur, inspiciendi sunt diligenter omnes loci, vnde argumenta sumuntur.

Quæ ei facile occurrent, qui locos cogitatione sepserit, & studium ac diligentiam adhibuerit.

Qui

Qui modus in argumentis adhibendus. Cap. XXXII.

HAC argumentorum copia nō est imprudenter vtendum; & non solum inuenienda, sed etiam iudicanda sunt.

Siquidem nō semper, nec in omnibus caussis, ex ijsdem argumentorum momenta sunt.

Vnde, leuia, aliena, & inutilia resecanda sunt: habeatur igitur cum iudicio selectus.

Et quia ijdem loci valent ad faciendam fidem, & motū & non facile, quæ ad mouendum affectus conferūnt, cognoscuntur, de affectibus mouendis dicendum est.

De Affectibus. Cap. XXXIII.

MAXIMA vis existit oratoris in hominum mentibus permouendis, quod amplificatione fit.

Amplificatio est grauior quædam affirmatio, quæ motu animorum, conciliet in dicendo fidem.

Quæ verborum & rerum genere fit: de verbis dicetur cum de elocutione agetur.

Rerum amplificatio sumitur ex locis, qui valent ad fidem faciendam: a definitionibus conglobatis, a consequentium frequentatione, &c.

De locis vnde sumuntur amplificationes a cap. XXXIIII. ad XL.

Amplificatio-

A definitionibus conglobatis, cum aliquid varijs modis definitur: vt, historia est testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, & magistra vitę.

A consequentium frequentatione, cū plura consequentia conglobantur.

A contrariarum rerum conflictione: vt, inertes homines fortissimis insidiari, stultissimos prudētissimis, ebriosos sobrijs, dormientes vigilantibus.

A dissi-

nes sumũtur,

A dissimilium & inter se pugnantium rerum conflictione: vt in 2. Phil. O tecta ipsa misera, &c. Eundem lęderes & laudares, & virum optimum, & hominem improbum esse diceres.

A caussis conglobatis, & his, quæ sunt orta de caussis, cum multæ caussæ, & multa effecta conglobantur.

A similitudine, & exemplo, cum multa similia frequentantur, & exempla conglobantur.

Quæ sint ad amplificandum adhibenda.
Cap. XL.

Si caussa patitur adhibentur magna quorũ alia sunt magna.

- Natura, vt
  - DIVINA, cœlestia:
  - Quæ habent caussas occultas,
  - Quę sunt admirabilia in terris.
- Vsu hominum: vt sunt ea, quæ vel multum
  - Prosunt,
  - Obsunt
  - hoĩbus. †
- † Horum tria sũt genera, quibus nam homines mouentur, aut,
  - caritate erga
    - Deum,
    - Parẽtes,
    - Patriã.
  - Amore erga
    - Fratres,
    - cõiuges,
    - Liberos
  - Dictu pro his
    - Retinẽdis,
    - Amissis,
    - Periculo amittẽdi.
  - Honestate virtutis, & maxime
    - Iustitiæ,
    - Liberalitatis.

Quid in amplificatione seruandum.
Cap. XLI.

IN amplificatione nihil nimis enucleãdum est: minuta est enim omnis diligentia: hic autem locus grandia requirit:

Vnde iudicio est opus, vt videamus quo genere quaque in caussa vtamur augendi. †

Admi-

† *Vnde,*

- In exornatione tractantur loci, qui
  - Admirationem,
  - Expectationem, &
  - voluptatem,
  - moueant.
- In deliberatione.
  - Bonorum, &
  - Malorum
  - enumerationes.
  - Vbi exempla plurimum valent.
- In iudicijs, ab
  - Accusatore, quæ ad iracundiam,
  - Reo, quæ ad miserationẽ pertinẽt.
  - Sed interdum ille ad misericordiã, hic ad iracundiam mouet..

Cur quædam inuentionis præcepta ad caussarum genera dentur accommodata; & de dignitate exornationis. *Cap.* 42.

ET si ex supra dictis locis omnis ad omnem orationem manat Inuentio:

Tamen facilitatis caussa seorsim præcepta de singulis generibus dantur.

Genus exornationis.

Est latum & spatiosum, quod non solum ad homines laudandos, sed etiam animalia, & anima carentia adhibeatur.

Nullum est genus hoc vberius ad dicendum, aut quod vtilius ciuitatibus esse possit.

Conficitur hoc genus magis ad motus animi leniter tractandos, quam ad fidem faciendam. Proprium enim laudis est res amplificare, & ornare.

- Ante vitam a ——— cap.43.
  - Patria,
  - Parẽtibus,
  - Maiorib⁹.
  - si
    - Rñdit eorũ virtuti.
    - Nobilitauit genus suis factis.
  - Huc pertinent oracula, responsa, & signa, quæ futuram claritatem indicarunt.

†† Exter-

Laudationis loci.

- Inuita a bonis — cap. 44.
  - Externis, vt sunt
    - Educatio, Opes, diuitiæ, Potentia, ꝓpinqui, Gratia, &c.
      - Si
        - Habuit, bene vsus sit, non superbe, &c.
        - Nõ habuit, patienter tulit, vel amisit.
  - Corporis, vt sunt,
    - Forma, quæ præcipue laudatũ, cum sit virtutis signum.
    - Viribus, Valetudine, &c. — sed horũ leuior est laus; quę a virtute proficiscitur.
  - Animi, seu a virtute; q̃, vel est — cap. 45.
    - Virtus cognitionis: vt
      - Prudẽtia, quæ est rerum expetendarum, & fugiẽdarũ sciẽtia.
      - Sapientia, q̃ est rerũ diuinarũ humanarũq; sciẽtia, cuius comites sunt,
        - Dialectica,
        - Eloquentia.
      - Huc ptinent studia oĩum bonarũ artiũ.
    - Actionis, cuius partes sunt — cap. 46.
      - Iustitia, quæ dat cuique suũ. cuius partes sunt
        - Religio in Deum,
        - Pietas in parentes,
        - Fides in reb' creditis
        - Lenitas, amicitia.
      - Fortitudo, quæ labores, & pericula cũ ratione suscipit.
      - Temperãtia, quæ libidines frenat.
      - Verecundia, quæ est virtutum custos.

Sumi-

- Sumitᵗ laus a loco virtutis, cap.47.
  - Si cuique virtuti propria laus a proprio officio & munere sumpta, tribuatur.
  - Si res gestæ laboriosæ, cum periculo sine spe premij, & aliorum causa sumptę laudentur.
  - Si aduersi casus patienter & sapienter tollerati.
  - Si sumantur laudāda, q̄ sint.
    - Nouitatē magna,
    - Magnitudine præstantia,
    - Genere ipso singularia:
  - Si cum alijs præstantibus viris fiat comparatio.
- A tēpore post vitā considerantur,
  - Genus ipsum mortis, &
  - Quæ mortē consecuta sunt: vt
    - Habiti honores,
    - Decreta virtutis pręmia,
    - Res gestæ hominum iudicio comprobatæ,
    - Filiorum institutio, artiū inuentio, & instituta.

De laude vrbium. *Cap*. XLIX.

- Laudātur vrbes, a
  - Conditoribus,
  - Vetustate,
  - Viris illustribus, & eorum gestis.
  - A situ & munitione.

De Deliberatione. *Cap*. L.

- PRAECEPTA de exornatione tradita conferunt etiam ad sententiam dicendam: quia quæ laudantur, suaderi solent.
- In deliberando finis est dignitas, ad quem omnia referuntur in consilio dando.

In ſuadendo, & diſſuadẽdo tria ſpectanda ſunt.
- Quid ſit, de quo deliberetur.
- Qui ſint, qui deliberent.
- Qui ſit, qui ſuadeat.

De re, de qua deliberatur. *Cap. LI.*

De re,
- AVT certũ eſt poſſe fieri: & tũc poteſt eſſe dubium de
  - Tempore, &
  - Modo.
- Aut incertum, & tunc ſolemus prius oſtendere
  - Etiam ſi fieri poſſit, non debere.
  - Deinde, non poſſe fieri.

In ſuadendo tres sũt partes.
1. Fieri poſſe, & facile: quia difficilia ſunt perinde ac ſi fieri non poſſent.
2. Eſſe honeſtum.
3. Eſſe vtile, vbi etiam magnitudo demonſtratur, in qua etiam neceſſitas apparet.

De his, qui deliberant. *Cap. LII.*

† In
- DIVERSI ſunt deliberantium animi, ſiue plures, ſiue ſinguli deliberent; quia †
  - Pluribus multũ intereſt, an
    - Senatus,
    - Populus,
    - Romani, an Galli deliberent
  - Singulis, an
    - Cato,
    - Cicero.
    - Cęſar: iõ †

† Intuenda ſunt,
- Sexus,
- Dignitas,
- Aetas,
- Et maxime mores.

Duo eñi ſunt hominum genera:
- Alterum agreſte, quod antefert vtilitatem honeſtati:
- Alterum expolitũ, quod rebus omnibus dignitatem anteponit.

De prima parte ſuadendi. *Cap. LIII.*

Honeſtas,
- MIRABILES ſui amores excitaret, ſi oculis cerneretur, ſed ob vitiatam naturam cohortatione eſt opus.

Hone-

- Honestatem apud
  - Homines honestos facile est persuadere: at apud
  - Turpes non ita: vnde non sũt aperte obiurgandi: sed moueri possunt
    - A laude, & Vtilitate futura
    - Vulgi opinione.
    - Obijciendo metũ, quo hoĩes leuissimi facile terrentur.
- Interdũ q̃rit̃ qd sit honestius: sed
  - Officium, quod scientia & cognitione continetur, posponitur,
  - Officio, quo hominum societas & cõiunctio cõseruatur: cuius partes sunt, officium erga
    - Deum,
    - Patriam,
    - Parentes,
    - Et sic deinceps.

De Vtilitate. *Cap. LIIII.*

- *Vtilitatis partes pro*
  - Eo, qui suadet, sunt
    - Facile,
    - Magnum,
    - Iucundum,
    - Sine periculo.
  - Eo, q dissuadet, sũt
    - Difficile,
    - Paruum,
    - Iniucundum,
    - Periculosum.
  - Solet etiã quæri, vtrum vtilius. †

- † *Cum vtilitatis species cum honestate certat: Qui*
  - Vtilitatem defendit, enumerabit
    - Commoda pacis, opum, potentiæ, & res quarum fructum vtilitate metimur.
    - Itẽ, quæ incõmoda contrariorũ.
  - Honestatẽ tuetur, numerabit
    - Maiorum exempla, cum periculo gloriosa,
    - Posteritatis memoriã augebit.
    - Vtilitatem ex laude nasci ostendet, & cum dignitate esse coniunctam.

Exercitatio defendendi vtilitatem contra honestatem est vtilis in scholis: quia iniquorũ ratio cognoscenda est, vt melius æqua tueamur.

De eo, qui suadet. *Cap. LV.*

Suadere, & dissuadere, est viri.
- Sapientis, Honesti, & Diserti, q possit
  - Mente prouidere,
  - Auctoritate probare,
  - Oratione persuadere.

Cuius viri.
- Vita illustris,
- Clarum genus,
- Aetas, & dignitas

Expectationẽ afferũt: sed videndũ est, ne quæ dñr, ab eo, q dicit, dissentiãt. †

† At his cõtraria
- Summissiorem quendam modum postulant:
- Nam, quæ in alijs libertas est, in alijs licentia vocatur.
- Et quibusdam sufficit auctoritas: quosdam ratio ipsa ægre tuetur.

Quædam in deliberatione seruanda. *Cap. LVI.*

- Ad consilium dãdum, caput est, nosse remp.
- Ad dicendum probabiliter oportet noscere mores ciuitatis:
- Qui, quia mutantũr, etiam orationis genus mutandum erit.
- In Senatu
  - Sine maiori apparatu dicendum.
  - Sapiens enim est consilium: & alijs dicendi dandus est locus.
  - Vitanda est ingenij ostentationisq; suspicio.
- Concio. Oẽm orõnis.
  - Vim;
  - Grauitatem,
  - Varietatẽq;

  desiderat.

Et eius

Et eius maxima pars ad animorū motus admouenda est.

Ad persuadē-dum vim maximam habēt exempla,
- Aut recentium, quo notiora sunt:
- Aut veterum, quo plus auctoritatis habent.

De his, quę iudicijs accommodata sunt, nihil est dicendum.
- Quia eorum mutata est ratio, & ita minus sunt necessaria.
- Et ex supra dictis locis intelligi possunt;
- Et ex ijs, quæ de partibus orationis dicentur.

Finis Tabularum Libri Primi.

TABVLÆ

Libri Secundi.

De Dispositione. Caput Primum.

Dispositio
- EST oratori maxime necessaria: non secus ac Duci exercitus instructio, ne confuse, & perturbate dicat.
- Est autem dispositio, rerum inuentarum distributio.
- Cuius in infinita quæstione ordo, est fere idem,

qui expositus est locorum.

In definita adhibenda sunt etiam, quæ ad motum animorum pertinẽt: quo fit vt vtamur.
- Exordio, in quo fit motus.
- Narratione, & Cõfirmatione — quæ docent
- Peroratione, qua fit motus.

De Exordio. *Cap. II.*

Exordium
- Est oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem:
- Quod tribus maxime rebus fiet, scilicet, si auditorem
  - Beneuolum,
  - Attentum,
  - Docilemq; fecerimus.

Auditor
- Beneuole audiet, si captabitur beneuolẽtia †
  - † a persona
    - Nostra;
    - Auditorũ,
    - Aduersariorum.
  - Qđ fiet, narrando
    - Merita,
    - Officia,
    - Virtutes,
    - Et contraria in aduersarios cõferendo.
- Attẽte, si de
  - Magnis,
  - Necessarijs,
  - Vtilibus rebus, ẽt ipsis auditoribus, nos esse dicturos promittemus.
- Intelligenter, si
  - De qua re sumus dicturi ostẽdemus.
  - Proposuerimus, & breuiter distribuerimus,
  - Definiuerimus.

De generibus caussarum. *Cap. III.*

Caussarum genera pro quorum ratione
- Honestum, quod per se conciliat animum auditoris:
- Dubium, vel anceps, in quo opus est beneuolentia.
- Obscurum, quod docilitatem requirit.
- Humile, quod attentionem postulat:

Admi-

varie exordiendum est, sūt quinque:

Admirabile, quod est præter hominum opinionem, sub quo etiam turpe continetur, quod insinuationem postulat:

Quæ latenter animum auditoris occupat.

Qua vtimur,
- Si causa, vel persona sit turpis, quorum alterum, alterum iuuabit.
- Si animi auditorum aduersariorũ oratione sint occupati, vel fatigati.
- Si sint defessi, quos recreabimus,
  - Spe breuitatis,
  - Si promittemus aduersariorum argumenta confutaturos:
  - Si vrbanitatem oportunam adhibebimus.

Cuiusmodi Exordia esse debeant. Cap. IIII.

Bona erũt exordia, si
- ACCVRATA & acuta,
- Instructa sententijs, & apta verbis.
- Sint causarum propria:
- Sumantur ex ijs causæ locis, qui valeant ad leniter alliciendum & incitandum auditorem, quo maxime exordia spectant.

De vitijs Exordij. Cap. V.

Exordiorũ vitia sunt septem.
- VVLGARE, quod in plures caussas potest accommodari.
- Commune, quod etiam in contrariam partem caussæ potest conuenire.
- Commutabile, quod potest ab aduersario leuiter mutatum, ex contraria parte dici.
- Longum, quod pluribus verbis, vltra quam satis est producitur.
- Separatum, quod non ex ipsa caussa ductum est, nec tanquam membrum est ei annexum.

Transla-

Translatum, quod aliud conficit, quam causſæ genus postulat.

Contra præcepta, quod nihil eorum efficit, quorum cauſſa de exordijs præcepta tradũtur.

De Exordio in genere iudiciali. *Cap. VI.*

In hoc genere

CVRANDVM est, vt exordia ex viſceribus cauſſæ ſumantur.

Laudatio, & conciliatio iudicis ad vtilitatem cauſsæ coniunguntur.

Allegatur pro honestis, dignitas: pro humilibus, iustitia, pro lęſis, ſeueritas, pro infelicibus, miſeria, &c.

Interdum remouetur metus, interdum vero adhibetur.

Non est ostentanda cura in principio.

In honestis, & paruis, atque frequentibus cauſſis non adhibetur exordium.

De Exordio in exornatione, & deliberatione. *Cap. VII.*

In hoc genere,

EXORDIA ſunt maxime libera, & ex re vicina, & longe remota duci poſſunt.

Sæpe nulla, aut breuia eſſe debent, cum non ſupplex, ſed hortator veniat orator.

Cum principio vtetur, proponat:
- Qua mente ſit dicturus,
- Quibus de rebus,
- Quid velit,
- Hortetur ad ſe breuiter dicentem audiendum.

De Narratione. *Cap. VIII.*

NARRATIO est rerum explicatio, & quædã quaſi ſedes, ac fundamentum constituendæ fidei. †

Breui-

Quæ tribus rebus constat: †

- Breuitate: erit breuis, si
  - Constet simplicibus verbis:
  - Semel vnaquæque res dicatur:
  - Resecentur quæ, nec cognitioni, nec vtilitati detrahant.
  - Breuitas tamen non sit inornata, & indocta.
- Perspicuitate: erit perspicua, si
  - Verbis vsitatis vtemur:
  - Ordo temporum seruetur:
  - Non interrupte narrabitur.
- Probabilitate: erit probabilis, si
  - Quæ narrantur, personis, locis, & rebus conuenient:
  - Cuiuscunque euenti caussa ponetur: & testata dici videbuntur:
  - Cum opinione, lege, religione, erit coniuncta:
  - Probitas narrantis,
  - Antiquitas, orationis veritas, & vitæ fides significabitur.
- Per hæc efficietur, vt auditor
  - Intelligat,
  - Meminerit,
  - Credat.
- Sit etiam iucunda, & suauis; talis erit, si continebit
  - Admirationes,
  - Expectationes,
  - Motus animorum,
  - Colloquia personarum,
  - Dolores, lætitias, &c.

Quando narratione vtendum sit. Cap. IX.

In

IVDICIIS non est opus narratione, si res sit nota, vel aduersarius narrauit.

Exornatione, nulla narratio necessario sequitur exordium: sed aliqua in recensendis factis potest incidere.

Deliberatione, nulla est narratio, cum narratio sit

tio ſit præteritorum : extrinſecus tamẽ in deliberatione multa narrari poſſunt.

Priuata deliberatio certe nunquam narrationem exigit:

In concionibus ſæpe illa, quæ ordinem rei docet eſt neceſſaria.

De Confirmatione. Cap. X.

Confirmatio,

Est in qua firmamenta cauſſę afferuntur; dum quæ contra nos ſunt, refellimus, & noſtra confirmamus.

Confirmatio & confutatio, natura, tractatione, & vtilitate ſunt coniuncta.

Tota ſpes vincendi, & ratio perſuadendi in hac parte eſt ſita, cum in ea noſtra confirmemus & contraria ſoluamus.

Vtrunque commode fieri poteſt, cum cauſſæ conſtitutio, ſiue ſtatus cognoſcitur.

Quid ſit ſtatus. Cap. XI.

Status,

Est. quæſtio, quę ex prima cauſſarum conflictione naſcitur.

Vt ſi intentio accuſatoris ſit, coniuraſti cum Catilina: depulſio defenſoris, non coniuraui: oritur quæſtio, an coniurauerit.

Quæ quæſtio vocatur conſtitutio, & ſtatus.

Dicitur ſtatus, quod ibi ſit primus cauſſę congreſſus, vel quod in eo cauſſa ſiſtat.

Quot ſint ſtatus. Cap. XII.

Cvm tria ſint, quæ in omni diſputatione quæruntur ſit nec ne, quid ſit, quale ſit, †

An ſit:

†Tres et sunt status.

An sit: an Clodius insidiatus sit Miloni: vbi opus est coniectura; & ideo coniecturalis dicitur:

Quid sit aliquid, & quo nomine afficiendũ: vt fuerit Cæsar tyrannus, vel Rex: qui dicitur status definitionis.

Quale sit, & dicitur qualitatis: vbi quæritur de
- Vtilitate,
- Honestate,
- Aequitate,
- Et de contrarijs.

Qualitatis partes sunt duæ.

Absoluta, cùm id, quod factum est, nulla ratione extrinsecus petita, recte factum esse demonstratur.

Assumptiua, cum aliquid necessario foris assumitur, vt probetur recte factum.

De ratione, firmamento, & iudicatione. *Cap. XIII.*

In statibus

Ratio dicitur ea, quæ affertur a reo depellendi criminis caussa sine qua, non haberet quid defenderet.

Firmamentum, quod affertur contra ad labefactandam rationem: sine quo accusatio stare non potest.

Ex vtriusque conflictione & concursu oritur quæstio quædam.

Iudicatio est quæstio illa, quæ oritur ex ista conflictione: sic dicta, quod in iudicium veniat.

Ad iudicationẽ omnis ratio totius orationis conferenda est: ac propterea reperienda est.

In coniectura nulla est disceptatio: quia cum negatur factum, non redditur ratio.

Vnde in caussis coniecturalibus, eadem est prima quæstio, & disceptatio extrema.

Quæ,

Quæ, & quot quæstiones oriantur ex scripto, & quo statu contineantur. *Cap. XIIII.*

Ex scripti interpretatione quattuor modis oritur contẽtio: vel

Cvm defenditur scriptum nõ dicere, quod aduersarius vult: dicitur, ambiguum.

Cum scripto opponitur voluntas scriptoris: discrepantia scripti & voluntatis.

Cum scripto, contrarium scriptum affertur: scriptura contraria.

Cum ex eo, quod est scriptum, aliud non scriptum deducitur, quod ratiocinatione fit: dicitur, ratiocinatio.

Hæc quattuor controuersiarum genera semper in qualitatis statum cadunt.

Quomodo status tractentur. *Cap. XV.*

Ivdicatione constituta, eam sibi ob oculos proponat orator.

Quo omnes argumentationes ex locis repertæ conijciantur.

Quos locos, qui habebit in mente defixos, omnia videbit, quæ in re proposita dici possint.

Argumenta ita collocabit, vt firmissima in principio, quæ excellunt in extremo loco, mediocria in medio ponantur: vitiosa nullibi.

De Argumentatione. *Cap. XVI.*

Argvmentatio est argumenti explicatio, vel artificiosa expolitio: cuius partes sunt: Ratiocinatio, Inductio, Enthymema, Exemplum.

Quæ conficitur ex locis: si certa aut probabilia sumpseris, quibus efficias, vt quod dubiũ, aut minus probabile est, probabile videatur.

Pro

Pro certis hæc habemus.
- Primũ, quæ ſenſibus percipiuntur: vt quæ videmus, audimus, &c.
- Deinde, quæ communi opinione, & ſententia ſunt comprobata.
- Præterea, quæ legibus cauta ſunt: quæ in mores recepta.
- Et deniq; id, quod eſt probatũ, cui aduerſarius non contradicit.

Probabilium genera ſũt tria.
- Vnum firmiſſimum, quod fereſemper accidit: vt liberos a parentibus amari.
- Alterum velut propenſius; eum qui valet in craſtinum peruenturum.
- Tertium, tantum non repugnans: vt in domo furtum factum ab eo, qui domi fuit.

De Ratiocinatione. *Cap. XVII.*

Ratiocinatio, quam Græci ſyllogiſmũ, & Epicherema vocãt, conſtat,
- Propoſitione, per quã locus ponitur, ex quo tota vis ratiocinationis emanat.
- Propoſitionis cõfirmatione,
- Aſſumptione, qua, quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur.
- Aſſumptionis approbatione;
- Complexione, qua, quod conficitur ex omni argumentatione, breuiter exponitur.

Quot ſint partes ratiocinationis. *Cap. XVIII.*

PARVM refert, ſiue tripartitam, ſiue quinquepartitam dicas.

Commodior tam eſt illa partitio, quæ in tres partes diſtributa eſt: ita vt propoſitio, & aſſumptio cum ſuis probationibus duas faciant partes.

Si proba-

Si probationes seorsim sumantur, erit quinquepartita.

Cum propositio, & assumptio sunt notæ, conficitur ratiocinatio missis confirmationibus.

Non semper incipiendum est a propositione, sed etiam a complexione, & assumptione, vt vitetur similitudo satietatis mater.

De Enthymemate. *Cap. XIX.*

Enthymema

Est imperfectus syllogismus: vel syllogismi pars.

Vnde, si vna ratiocinationis pars auferatur, fiet enthymema: vt, eloquentia est ars, igitur expetenda.

Optimum enthymema illud est, quod fit ex pugnātibus, & quod etiam solum enthymema, quidam per excellentiam vocant.

Vt quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris?

Enthymema, latine commentum, & cōmentatio: quo nomine bipartita significatur argumentatio: sic dicta, quod in animo maneat illa pars præterita.

De Inductione. *Cap. XX.*

Inductio

Est oratio, quæ ex rebus non dubijs captat assensionem auditorum: qua assensione facit, vt dubia propter similitudinem rerum quibus assenserit, probentur.

Vel est argumentatio, quæ ex pluribus collationibus peruenit, quo vult.

Fit interrogatione & respon- | Quod pomum generosissimum? puto, quod optimū:

Et

sione oratorijs, hoc modo.

Hic modus argumentandi est poetis frequens, quo Socrates plurimum vsus est.

Et equus? qui velocissimus:

Et plura in eundem modum? deinde id, cuius gratia illa posita sunt:

Ita hominum, non qui claritate nascendi, sed qui virtute maxime excellit, erit generosissimus.

Sed sunt duo diligenter cauenda.

Primum, vt quæ sumūtur eiusmodi sint, vt sit necesse concedi.

Deinde, id cuius confirmandi caussa fit inductio, sit ijs, quę sumuntur simile.

De Exemplo. *Cap. XXI.*

Exemplum.

EST inductio imperfecta: vel inductio rhetorica.

In quo, ab vno simili argumētamur ad aliud.

Vt, Milo non est condemnandus quod hominem necauerit, cum nec etiam Horatius condemnatus fuerit.

Differt ab enthymemate & ratiocinatione, quia in his semper aliquid vniuersale sumitur, aut concluditur: ab inductione, quia ab vna tantum re simili procedit.

Vnde fit, vt sit quartum argumentationis genus.

De Epicheremate. *Cap. XXII.*

GRAECI interdum argumentationem vocant Epicherema.

Et nonnunquam eam, quam Cicero ratiocinationem appellat,

Aliquando vero Epicherema vocatur breuis ratiocinatio, cuius omnes partes in vnam conferuntur: vt si dicas.

Sine caussa seruus Dominum accuset? Quę argumentatio addendo alias partes, ad ratiocinationem reducitur.

De Sorite. *Cap. XXIII.*

Sorites

MVLTAS argumētationes aceruatim conuoluit, & amplectitur; vnde nomen accepit: latine, acerualis.

Vt, quod est bonum, est expetendum: quod expetendum, approbandum: quod approbandum, laudabile, ergo quod bonum erit laudabile.

In hoc argumento, quod Dialectici a primo ad vltimum vocant, quasi per quosdam gradus, & varias ratiocinationes ad complexionem venitur.

De Dilemmate. *Cap. XXIIII.*

Dilemma,

EST, in quo vtrum concesseris repręhenditur: vt si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas: si autem exorabiles, summa leuitas.

Dicitur dilemma, quod ita vtrinque premat, vt ex altera parte capiat aduersarium: vnde cornutus etiam syllogismus solet vocari: Cic. compręhensionem appellat.

Si verum sit, non potest repręhendi: si falsum, diluitur, aut conuersione, aut alterius partis infirmatione.

Est itaq; dilēma ratiocinatio imperfecta, quę ducitur a duabus partibus contrarijs, cui si addatur assumptio, fiet ratiocinatio perfecta.

De

De Confutatione. Cap. XXV.

REFVTATIO aliquando sumitur pro tota actione defensoris, aliquando pro ea parte orationis, qua dicta ab aduersario dissoluuntur, quæ propriè reprehensio dicitur.

Est autem reprehensio, qua aduersariorum confirmatio, aut { Diluitur, aut / Infirmatur, aut / Eleuatur.

Hæc eodem inuentionis fonte vtetur, quo vtitur confirmatio, ijsdem, scilicet locis.

Quę contra ab aduersario dicuntur, tolluntur, aut {
- Totum quod sumptū est, negando: aut
- Dicendo sumpta esse dubia, vel falsa, pro veris, & certis.
- Non effici ex sumptis, quod concluditur.
- Postea singula soluenda sunt.

Quomodo argumentationes oratoriæ sint tractandæ. Cap. XXVI.

Argumentandi ratio. {
- IN oratione interdum sunt ratiocinationes breuiter conclusæ, & aperta enthymemata, & inductiones:
- Quod, vt reprehendendum non est ita cauendum est, ne syllogismorum & enthymematum turba, sit conferta, & eodem modo semper conclusa oratio.
- Adhibeatur ergo in argumentando, varietas, & iucunda quædam distinctio, & verborum, ac sententiarum exornatio.

De Peroratione. Cap. XXVII.

Perora- { Amplifi- { CVIVS locus proprius est in Peroratione: sed & alibi adhibetur, vt post rē confirmatam, vel reprehēsam.

tio, constat. | cationе.

Oẽs affectus hic concitandi sunt: etiam alibi, sed breuius.

Hic omnes eloquentiæ fontes aperiendi, vt non solum beneuoli auditores se dedant: sed etiam repugnantes trahantur.

Iuuant ad hoc efficiendum, quæ de amplificatione, lib. 1. dicta sunt.

Caput est, vt orator prius in se motus excitet.

Valent etiam ad incitandum rerũ absentium imagines, ita repræsentatæ, quasi oculis cernantur.

Enumeratione

Quæ nonnunquam laudatori, suasori nõ sæpe, accusatori sæpius, quam reo est necessaria.

Cuius duo sunt tempora: alterum si diffidas memoriæ auditorum: alterum si frequẽtatis firmamentis, caussa vim habitura sit maiorem.

Repetitiò fiat per capita, ne videatur altera oratio.

Repetantur cum pondere verborum & sententiarum, ita vt non sit recta, sed variata repetitio.

In enumeratione vitanda est ostentatio memoriæ.

Finis Tabularum Libri Secundi.

TABV-

TABVLÆ

Libri Tertij.

De Elocutione. Caput Primum.

HOC Libro agitur de Elocutione, in qua orator debet excellere.

Vnde ab eloquendo, græce Rhetor, latine, Eloquens, nominatur: & eloquendi vis ei soli conceditur.

Eloqui autem, est omnia, quæ mente conceperis promere, atque ad audientes proferre.

Hoc maxime arte docetur: hoc studium & exercitationem, & imitationem requirit: hoc, maxime orator est oratore præstantior.

Eloquens autem is dicitur, qui ita dicit, vt
- Probet, quod est necessitatis,
- Delectet, suauitatis,
- Flectat, victoriæ.

Quæ in Elocutione spectanda sint. Cap. II.

In Elocutione spectatur, vt dicamus,
- Latine, Plane, — SED de ratione puri dilucidiq; sermonis non est hic præcipiendi locus: traditur enim doctrina puerili.
- Ornate, & ad id qđ agitur apte, & congruēter. — Harum partium
  - Altera dici postulat ornate:
  - Altera hanc habet vim, vt oro
    - Sit Iucunda;
    - In sensus influat;
    - Plurib⁹ rebus sit instructa.

De

De Ornatu. *Cap. III.*

Oratio { Ornatẽ gñe primum, & quasi colorequodam, & succo. } vt sit { Grauis, Suauis, Erudita, Liberalis, Admirabilis, Polita. } { Sensus & dolores habeat, q̃tum opus sit. Quod non est singulorũ articulorũ, sed ĩ toto hęc spectantur corpore.

{ Genus dicendi eligendũ est, quod { Maxime teneat eos, qui audiunt. Quod non solum delectet, Sed etiam sine satietate delectet.

Sed volenti ornate dicere, { Sylua rerum primum ac sententiarum comparanda est. Rerum enim copia verborũ copiam gignit. Et si est in rebus honestas, ĩ verbis etiam est splendor quidam.

De ornatu orationis. *Cap. IIII.*

Oĩs orõ conficit̃ ex verbis: quorum ratio, vel { Simpliciter, vel Coniunctè cõsideratur. } vñ ornatus ẽ vel in { Singulis verbis, vel In cõiunctis & cõtinuatis: vel } { Proprijs & vna cũ rebus natis, aut nouatis, & quasi factis.

De verbis simplicibus. *Cap. V.*

Verba simplicia na- { Cõsonantiora, vt moderatio, quam modestia. } { Vt enim syllabæ e literis melius sonantibus clariores sunt; ita verba ex syllabis,

Gran-

tura, alia sunt

Grandiora; vt optimus, quam bonus.

Nitidiora, vt bos, quā vacca.

Alia his contraria.

magis vocalia.

Et quo plus quæque spiritus habet, eo pulchrior.

Et quod facit syllabarum, idem verborum copulatio: vt vnum alij iunctum melius sonet.

Ex simplicibus optima creduntur, quæ

Maxime exclamant, aut sono sunt iucundissima.

Et honesta turpib' potiora sūt: sordidis in oratione erudita non est locus.

Clara vero & sublimia, materiæ modo, cernenda sunt.

Quod enim alibi magnificum, tumidum alibi: & humilia circa res magnas, apta sunt circa res minores.

Sed hæc aurium iudicio ponderanda sunt: in quo etiam consuetudo bene loquendi valet.

Verba quæ orator ad orationem ornandam affert,

- Aut sunt inusitata,
- Aut nouata,
- Aut translata.

De verbis inusitatis. *Cap. VI.*

Inusitata sunt,

VERBA prisca, & vetusta, & ab vsu intermissa.

Quæ sunt poetarum licentia liberiora, quam oratorum.

Quo ornamento vnice Virgilius vsus est,

Habet et in oratione poeticum verbū dignitatem, si raro, & suo loco adhibeatur: vt effare, soboles, nuncupari, & alia, quibus grandior & antiquior oratio videri potest.

De verbis nouis. *Cap. VII.*

Noua verba sũt, quæ abeo, qui dicit gignũtur. Quæ fiũt, aut

SIMILITVDINE, vt Syllaturit, Fimbriaturit, ad similitudinem verbi, proscripturit.

Imitatione: vt, tinnio, rugio, clangor, & similia.

Inflexione: vt, a bibo, bibosus; mimographus.

Adiunctione: vt, versutiloquus, expectorare: Græcis magis concessum est, verba fingere, sed tamen aliquando audendum est.

Siquid durius finxeris, præmunies, dicendo, vt ita dicam; si licet dicere: quodammodo, &c.

De Tropis. *Cap. VIII.*

Tropus EST verbi, vel sermonis a propria significatione in alienam cũ virtute mutatio. Vt cũ dicim⁹ Lętas segetes, Verbum, Lætus, ab homine ad segetes transfertur.

Tropi sunt numero 11. In vno verbo, septem, metaphora, synedoche, &c. In oratione quattuor. Allegoria, periphrasis, &c.

De Metaphora. *Cap. IX.*

Metaphora QVAE latine, translatio, dicitur, fit, cum verbũ transfertur e loco, in quo pprĩũ est, in eũ, vbi non propriũ,

Necessitatis causa, cum deest verbum proprium: vt gemmarę vites: homo durus, & asper.

Aut quia est significantius: aut

aut translatũ melius ꝓprio est. Fit ergo, aut — vt, incensus ira, lapsus errore. Aut quia decentius & ornatius: vt lumen orationis, flumen eloquentiæ.

Caussa cur delectemur translatis verbis, cum adsunt propria, est, quod translatio sit similitudo ad vnum verbum contracta; similitudine autem mirifice capiuntur animi.

Translatio & similitudo differunt, quod hæc comparat aliquid rei, quam volumus exprimere: fecit, vt Leo: hæc pro re ipsa ponitur: homo est Leo.

Quotuplex sit translatio. Cap. X.

Metaphora ẽ quadruplex.

Cvm ab animali ad animal fit translatio, vt si dicas hominem latrare.

Cum inanima pro inanimis sumũtur: vt, concentu virtutum nihil est suauius.

Cum pro rebus animalibus inanima; vt, duo fulmina belli Scipiades.

Cum animata, pro inanimis: vt accipiens sonitum saxi de vertice pastor.

Sed mira sublimitas in translatione est, cum rebus sensu carẽtibus, actum, & animos damus. Quid gladius in acie Pharsalica agebat, &c.

Quæ sint in metaphora animaduertẽda.

Fugienda est dissimilitudo; qualis est in hac: cœli ingentes fornices.

Ne a longe simile ducatur: non syrtim patrimonij, sed potius scopulum dixerim: non Charibdim, sed voraginem bonorum.

Ne sit humilis: vt saxea verruca: nec maior, quam res postulat: vt tempestas comessationis; nec minor.

Non sit frequens & immodicus vsus, qui potius obscurat orationem, quam illustret: continuus

tinuus,in allegoriam & ænigma migrat.

Quod si vereare ne sit durior, mollitur, dicendo, vt ita dicam: debet enim translatio esse verecunda; vt precario, non vi uenisse videatur.

Non omnes, quæ poetis conceduntur, etiam oratoribus concessæ sunt: vnde orator non diceret, aues pennis remigare, pallorem populi, &c.

De Synedoche. Cap. XI.

Synecdoche, seu intellectio fit, cum significatur

Ex parte totum: ex puppi nauis, ensis ex mucrone.

Ex vno plures: Romanus prœlio victor: hostis habet muros.

Ex forma, seu specie genus; Sabellicus suus pro quouis.

Ex materia res vniuersa: pinu, nauis auro, aurea pecunia: ferro gladius.

Ex toto pars: fontem ignemq; ferebat.

Ex pluribus vnus: oratores visi sumus.

Ex genere pars illi subiecta: vt ales, pro Aquila.

Ex antecedentibus consequentia: vt, aratra iugo referunt suspensa iuuenci.

Vt translatio permouendis animis,& variandis ac sub oculis subijciendis rebus, inseruit,

Ita Synecdoche ad variandum sermonem: sed omnia liberiora poetis, quam oratoribus.

De Metonymia. Cap. XII.

Meton. seu deno

PER caussas effecta: vt dona laboratæ Ceteris: Platonem legi, idest eius scripta.

Ex

inatio, mmen rat,

Ex effectis caussas : cum scelus, comprehensum dicimus, pro scelerato : mortem pallidam: timorem mæstum.

Ex eo quod continet, id quod continetur : sic moratæ vrbes : seculum felix : Roma, pro Romanis.

Ex possessore res possessas: Ardet Vcalegon.i. eius domus.

Ex signo, res : toga, pro pace : fasces, pro magistratu. Hanc Rhetores hypallagen vocant.

De Antonomasia. *Cap. XIII.*

ntono- asia,

PRONOMINATIO ponit aliquid pro nomine : vt euersor Carthaginis, pro Scipione: Romanæ eloquentiæ princeps, pro Cic.

Epitheton, latine, appositum, non est tropus, quia nihil vertit. Necesse est enim, vt id quod est appositum, si a proprio diuiseris per se significet & faciat antonomasiam, quod non facit epitheton.

Apposito frequentius & liberius vtuntur poetæ, modo conueniat verbo cui apponitur, quam oratores : vnde illi dicunt, dentes albi, humida vina : quæ apud oratores redundant.

Quod si epitheton aliquid efficiat, vt in his, o abominandum scelus, o deformem libidinem, non redundat.

Exornatur autem translatis : vt cupiditas effrenata : insanæ substructiones, & alijs adiunctis tropis : vt turpis egestas, tristis senectus.

Vnde sine appositis nuda & incompta est oratio : sed ne oneretur multis; quia fit longa, & impedita.

De

De Onomatopeia. Cap. XIIII.

Onomatopeia. Nominatio.

ONOMATOPEIA, est fictio nomi
Apud Græcos inter maximas habetur vi
tes: Latinis vix permittitur.
Verum, qui primi sermonem fecerunt m
finxerũt nomina: vt mugitus, sibilus, mum
At nunc raro, & cum magno iudicio hoc
nere est vtendum, ne noui verbi assiduita
dium pariat.
Sed si quis commode, & raro vtatur, exo
orationem.

De Catachresi. Cap. XV.

Catachresis seu abusio.

EST, qua verbo simili & proprio quo
certo, & proprio vtimur.
Vt, vires hominis breues, longum cons
grauis oratio pro magna: minutus anin
pro paruo. Sic, Pixides, cuiuscunq; materię
Abutimur verbis propinquis, nõ solum
res carent nomine, vt cum parricidam, m
interfectorem vocamus; sed etiam cum hal
vt, equum ædificant: oculis perlegunt.
Hoc differt abusio a translatione quod
centior, & audacior, licet non sit impudens

De Metalepsi. Cap. XVI.

Metalep. idest

TRANSVMPTIO, ex alio in aliu
luti viam præstat: post aliquot aristas mi
mea regna: per aristas spicas, & per has se
& annos intelligimus.
Tropus rarissimus, & maxime impro

De A

De Allegoria. *Cap. XVII.*

[...]go-

LATINE, inuersio, aliud verbis aliud sensu ostendit, ac etiam contrarium: tempus est equum spumantia soluere colla.

Habet vsum frequentem in oratione, sed plerunque apertis permiscetur verbis ita vt non sit perpetua allegoria.

Genus permistum est frequentissimum.

Illud vero speciosissimum genus orationis, in quo similitudinis, allegoriæ, & translationis gratia permista est.

Cauendum est, vt quo genus cęperis translationis, eodem finas: vnde non incipias ab incendio, & finias tempestate.

Seruit allegoria etiam in quotidiano sermone frequentissime.

Allegoria, si sit obscura, fit vitium, quod dicitur ænigma: quo tamen poetæ interdum, oratores nunquam vtuntur.

De Ironia. *Cap. XVIII.*

[...]ia.

QVAM illusionem vocant, non solũ aliud sensu, & aliud verbis ostẽdit, sed etiam contrarium: quæ cognoscitur, aut

- Pronuntiatione,
- Aut Persona,
- Aut rei natura.

De Periphrasi. *Cap. XIX.*

[...]ri-[...]sis

EST, cum pluribus verbis, id quod vno, vel paucioribus dici potest, explicatur, idest, circuitus loquendi: vt tempus erat quo prima quies mortalibus ægris, incipit, &c.

Apud poetas frequentissimus, & apud orato-

res

res non rarus; sed semper tamen astrictior.
Cui contrarium est vitium, quod perissologi dicitur: obstat enim quidquid non adiuuat.

De Hyperbato. *Cap.* XX.

Hyperbaton, Hoc est transgressio, quæ verborũ perturbat ordinem: aut Peruersione: vt mecũ, tecũ quibus de rebus: maria omnia circum: aut Transiectione: vt, oration in duas diuisam esse partes.
Transiectio, quæ rem non reddit obscuram prodest ad continuationes, de quibus dicetur postea: in quibus debet oratio numerum quendam poeticum habere.
Poetæ etiam verborum diuisionem faciunt: vt septem subiecta trioni: quod, oratio, non recipit.

De Hyperbole. *Cap.* XXI.

Hyperbole, Est ementiens superiectio, vel augendo vel minuendo: vt, fulminis ocyor alis: vix ossibus hæret.
Sed tam in augendo, quam in minuendo seruetur mensura quædam: nam, licet sit vltra fidem, non tamen vltra modum.

De ornatu, qui est in verbis coniunctis. *Cap.* XXII.

Cõtinuatio verborũ duas res habet. s. Collocationem, Et modũ quendã, siue numerum.
Conformatĩ autem oratio Verbis, & sniĩs, de quib. pri⁹ dicet: deinde de collocatione: postremo de modo, & forma. i. de numeris.

De

De Figuris. Cap. XXIII.

Figura, Est conformatio quædam orationis remota a communi & primum se offerente ratione.

Differt a tropis, quia fieri potest in proprijs verbis, quod in tropos non cadit: vt, si verba propria geminentur.

Coeunt tamen frequenter in eandem sententiam tropus & figura; vt si duo verba similiter desinentia essent translata.

De generibus figurarum. Cap. XXIIII.

Quotuplex sit figura. Vt omnis oratio versatur in sensu & verbis, ita & figuræ: Vnde duplex est figura: altera verborum, altera sententiarum.

Verborum exornatio est, quę ipsius sermonis insignita continetur perpolitione.

Inter has duas figuras hoc interest; quod verborum conformatio tollitur, si verba mutentur; sententiarum vero permanet, quibuscunq; verbis vtaris. Vt si esset repetitio cum interrogatione, sublata repetitione, potest manere interrogatio.

Inter auctores parum conuenit de figurarum numero, & nominibus, & aliqui aliquas inter verborum, alij inter sententiarum figuraś reijciunt.

Nos meliorum scriptorum sententiam explicabimus.

Quot modis fiant figuræ. Cap. XXV.

Figuræ verborum tribus modis — Adiectione: vt occidi, occidi non Spurium melium: vbi, verbum, figurate geminatur.

Detra-

fiunt, scilicet, Detractione: vt, abijt, excessit, erupit, euasit, vbi detrahitur, Et, Similitudine vocum: vt, cum gratiæ caussa nihil facias; omnia tamen sunt grata, quæ facis.

De figuris, quæ fiunt per adiectionem.
Cap. XXVI.

REPETITIO, cum ab eodem verbo ducitur sæpius oratio: vt, nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas.

Conuersio superiori contraria, cum in idem verbum conijcitur sæpius oratio.

Complexio, quæ duas superiores complectitur: cum in principio & fine eadem verba repetuntur.

Cōduplicatio ē verborum geminatio, quæ interdum habet vim, alias vero leporem: & plu ribus modis fit.
- Aut enim adiungitur idem: viuis, & viuis.
- Aut idem quod erat in principio in extremo etiam ponitur.
- Aut continenter idem, non in eadem sententia: pene par; non par, &c.
- Aut post aliquā interiectionē.
- Possunt ēt, vel media respondere primis, vel vltimis.
- Interim tota sententia repetit.

Traductio est eiusdem verbi crebrius positi quædam distinctio, quæ non offendit, sed concinniorem reddit orationem: vt, qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere.

Ex eodem genere exornationis est, cum idem verbū modo in hac, modo in altera re ponitur: cur rē studiose curas; q̄ multas tibi dabit curas?

Poly-

Polyptoton, latine, casuum commutatio, cum idem in multis casibus ponitur:

Fit autem, aut in vno verbo, aut in pluribus: & per casus intelliguntur etiam verborum tempora:

Vt pleni sunt omnes libri, plenæ sapientum voces, plena exemplorum vetustas. Et in eadem oratione hæc verba, prohibuit, eripuit, aspersit. Vnde casuum commutatio, non est eadem, cum traductione.

Synonymia est, cum verba idem significantia congregantur. Abijt, excessit, erupit, euasit.

Interdum etiam orationes eosdem sensus facientes aceruantur: perturbatio mentis, offusa caligo, &c.

Polysyndeton, cum oratio coniunctionibus abundat: vt, tectumq; laremq;, armaq;.

Gradatio, repetit quæ dicta sunt, & priusquã ad aliud descẽdat in pluribus resistit: vel est, cũ sursum versus reditur: vt, Africano virtutem industria, virtus gloriam, gloria æmulos comparauit. Rarior est hæc figura, cum habeat artem affectatam.

De Figuris verborum, quæ fiunt per detractionem. *Cap. XXVII.*

HAE figuræ nouitatis, breuitatisque caussa maxime petuntur.

Synecdoche, cum verbum subtractum satis ex ceteris intelligitur: vt, sermo nullus, scilicet, nisi de te.

Differt ab aposiopesi, in qua incertum est, quod tacetur, aut certe longiore sermone explicatur.

Dissolutio, cum demptis coniunctionibus dissolute plura dicuntur, vel in singulis verbis, vel sententijs: vt Gallia cuius virtuti, fidei, felicitati commendata est.

Dissolutionis & polysyndeti fons vnus est: quia acriora faciunt quæ dicuntur,& vim quandam addunt.

Differt ab articulo,qui idem est, quod incisum.

Adiunctio est, in qua ad vnum verbum, plures sententiæ referuntur,quarum vnaquæque illud desideraret,si sola poneretur: alias Zeugma dicitur: Quod verbum, vel in principio, vel in fine, vel medio ponitur. Vicit pudorem libido,timorem audacia, rationem amentia.

Disiunctio est, cum eorum de quibus dicimus, vnumquodque certo clauditur verbo: vt, Homerum Colophonij ciuem esse dicunt suum: Chij suum vendicant: Salaminij repetunt.

Sinœciosis,quæ duas res aduersas colligat: vt,tam deest auaro, quod habet,quam quod non habet.

De figuris verborum tertij generis. Cap. XXVIII.

Tertiū figurarumgenus, aut { Similibus, Paribus, Contrarijs vocibus in se aures, & animos excitat.

Annominatio,græce paranomasia, cum paululum immutata verba,atq; deflexa in oratione ponuntur: quę fit, { Adiectione: emit mortem, immortalitatem. Detractione: non exigo, vt immoriaris, legationi, sed immorare. Commutatione: reprimi, non comprimi. Translatione: homini nauo, an vano.

Hæc figura est leuis, ni sententiarum pondere impleatur.

Similiter cadens est, cum in eadem constructione verborum, duo, aut plura sunt verba, quæ similiter ijsdem casibus efferuntur, etiam si dissimilia sint, quæ declinantur.

Nec tantum in fine deprehenditur; sed respondent, vel prima

prima inter se, vel medijs, vel extremis, quomodocunq; accommodentur:

Vt in eadem oratione hæc verba: audendum, audiendum: proiectus, paratus: prætor, imperator: audacia, impudentia.

Similiter desinens, est similis duarum sententiarum, vel plurium finis. i. cum orationis membra, vel articuli simili exitu terminantur: vt, non modum ad eius salutem extinguendam; sed etiam gloriam per tales viros infringendam.

Hæc differt a superiori, quod ibi possunt esse dissimilia, quæ declinentur, hic non ita: illa solum in his quæ declinantur, hæc etiam in alijs partibus, vt in aduerbijs.

Compar, græce, Isocolon, cũ orationis membra constant fere pari numero syllabarum: extrema hyeme apparauit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit.

Contrapositum, vel contentio, græce, antitheton, cũ singula singulis, vel bina binis opponuntur.

Vt, vicit pudorem libido: timorem audacia, rationem amentia: non nostri ingenij, vestri auxilij est.
Nec semper contrapositum subiungitur.

Commutatio, cum duæ sententiæ inter se discrepantes ita efferuntur, vt a priore, posterior contraria priori proficiscatur. Non vt edam viuo, sed vt viuam edo:

Correctio, quæ corrigit, quod positum est verbum: quæ fit duobus modis: vel enim tollitur verbum, nõ ponendo aliud: vt, ciuis, si ciuis appellari potest: vel magis idoneum ponendo; vt omni officio, vel potius pietate.
Correctio vero sententiæ, non est huius loci.

Dubitatio est, cũ orator quęrere videtur, vtrum de duobus, aut quid de pluribus, potissimum dicat.

Quid verborum figuræ orationi conferant, & quid in eis cauendum sit. Cap. XXIX.

QVI parce, & cum res postulat his figuris vtitur, iucundiorem facit orationem.

Qui immodice & sine iudicio eas adhibet, gratiam varietatis amittit.

Danda ergo opera est, vt	Nec multę sint supra modum. Nec eiusdem generis.	Aut iunctæ, Aut frequentes.

Quod intellige de his, quæ nobiles sunt, atque insignes, non de illis, quæ sunt valde vsitatæ, & vulgatæ, quæ si sint crebriores aures non offendunt.

Ridiculum etiam est, neglecto rerum pondere, & viribus, sententiarum inania verba in hos modos deprauare.

Figuræ enim sunt quasi gestus orationis, & eas sine sententia sectari; est quærere habitum sine corpore.

Sciēdum est, quid quisq; locus in orando postulet, quid persona, & tempus.

Maior pars harum posita est in delectatione: vbi ergo atrocitate, miseratione pugnandum est, quis ferat contraposita, similiter cadentia, &c. vbi verborum cura derogat affectibus.

De Figuris sententiarum. *Cap. XXX.*

SENTENTIARVM Figura est exornatio, quæ non in verbis, sed in ipsis rebus quandam dignitatem, & quidem maiorem habet.

Quo genere, quia excelluit Demosthenes, idcirco oratorum princeps est iudicatus.

Schemata vocant Græci, quæ non tam in verbis pingendis pondus habent, quam in illuminandis sententijs.

Nec aliud est, dicere, quam aliqua specie illuminare sententias.

Interrogatio Figura est, quoties nō sciscitādi gra-	Instandi: quousque abutere patientia nostra? Interrogamus etiam, quod negari non potest. Aut, vbi respondendi difficilis est ratio: Quomodo? Qui fieri potest?

Inui.

tiaassumit, sed
Inuidiæ & miserationis caussa.
Conuenit etiam indignationi, & admirationi.
Interdum est acrius imperandi genus: non arma expedient? &c.
Aliquando nósmetipsos interrogamus. Quid agam?

Responsio est, cum aliud interroganti, ad aliud, quia sic vtilius sit, occurritur, aut augendi criminis, gratia, aut declinandi. An fustibus vapulasti? & innocens quidem. An hominem occidisti? respondetur, Latronem.

Subiectio est, cum orator vel interrogat seipsum, & respondet sibi: vel cum alium rogauerit, nō expectat rñsum.

Et domus tibi deerat? at habebas.

Anteoccupatio, vel præsumptio, & prolepsis, cum id, quod obijci posset, occupamus. Præsumptione etiam verborum vis confirmatur: Quamquam illa non pœna, sed prohibitio sceleris fuit: ac etiam repręhensione, quam alij correctionem vocant.

Correctio est, quæ tollit sententiam aliquam, & eam alia, quæ magis idonea videtur, emendat, & corrigit.

Dubitatio est, cum quærimus vnde incipiendum, vbi desinendum, quid potissimum dicendum, an omnino dicendum sit. Quo me vertam nescio.

Communicatio, cum, aut ipsos aduersarios cōsulimus; Tu deniq; Labiene quid faceres?

Aut cum iudicibus deliberamus: Nunc ego iudices iam vos consulo, &c.

Prosopopęia est personarum ficta inductio: qua & aduersariorum & nostros cum alijs sermones, & aliorum inter se credibiliter introducimus.

Quin & mortuos excitare in hoc genere dicendi concessum est.

Vrbes etiam populi vocem accipiunt: In quibus hoc modo mollior fit figura. Etenim si mecum patria ita loqueretur, &c,

Formas quoque fingimus ſæpe: vt famæ, virtutis, &c.

Apoſtrophe, eſt auerſus a iudice ſermo: ſiue aduerſarios inuadimus, ſiue ad inuocationem conuertimur; ſiue ad inuidioſam implorationem: O leges Porciæ, legesque Semproniæ.

Hypotypoſis, ſeu deſcriptio; qua ita res aliqua deſcribitur, vt cerni potius, quam audiri videatur.

Nec ſolum quæ facta ſunt, aut fiant, ſed etiam quæ futura ſunt, aut fuerint, exprimuntur.

Apoſiopeſis, vel præciſio, & interruptio, oſtendit affectũ vel iræ, vel ſolicitudinis: Quos ego: ſed motos præſtat componere fluctus.

Ethopœia, eſt imitatio vitæ, vel morum alienorum: ornamentum aptum ad animos conciliandos & permouēdos.

Emphaſis, cum ex aliquo dicto aliquid latēs eruitur: vel cum plus ſignificatur, quam dicitur: Iacuitq; per antrum: vnde intelligitur corporis magnitudo.

Suſtentatio eſt, qua diu ſuſpēduntur auditorum animi atque aliquid inexpectatum ſubiungitur: aut ad aliquid leue, & minime criminoſum deſcenditur.

Prætermiſſio, vel præteritio, cum dicimus nos prætetire, vel non ſcire, vel nolle dicere, quod tunc maxime dicimus: Nunc quæror diminutionem vectigalium, non, &c.

Licentia eſt, cum orator, aut vereri, aut metuere debet; tamen aliquid pro ſuo iure dicit; quod minime offendit. Vide quam non reformidem, &c.

Conceſſio eſt, cũ aliquid ēt iniquum, cauſſę fiducia, videmur pati, atq; cōcedere: verum eſto, eripe hęreditatē ꝓpinquis, &c. Sunt qui conceſſionē dictorum eſſe velint: Sit fur ſit ſacrilegus, &c. at bonus imperator, & felix. Conceſſio iuncta Ironiæ magnam vim habet.

I, ſequere Italiam ventis pete regna per vndas.

Parētheſis, vel intercluſio, declinatio breuis a propoſito: At longior digreſſio, quæ multis pars cauſſę videtur. inter figuras quorundam iudicio numeranda non eſt: ſed a Cic. numeratur.

Ironia,

Ironia, quæ a Quint.& Cic. inter sententiarum exornationes numeratur: differt ab ea, quæ est tropus, qđ hæc sit totius voluntatis fictio. Nouum crimen C. Cæsar, &c. tropus vero, breuior & apertior.

Distributio, cum aliquid in partes plures distribuitur; quarum vnicuique ratio deinde sua subiungitur.

Vel est cum in plures res, aut personas certas, negocia quædam dispertiuntur, neque fit vlla mentio subiectæ rationis.

Permissio est, cum alicui rei vehementer confidimus, & ostendimus nos eam tradere, ac concedere alicuius voluntati: & cum relinquimus ipsis iudicibus, vel aduersarijs aliquid existimandum; aliqui permissionem factorum, concessionem dictorum esse putant.

Deprecatio, vel obsecratio, cum operam alicuius imploramus. Per dexteram te istam oro.

Optatio, quæ voti alicuius præbet significationem. Vtinam mihi facultatem caussa concederet.

Execratio, quæ malum alicui præcatur: Dij te perdant.

Epiphonema, rei narratæ, vel probatæ sũma acclamatio, Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Exclamatio est, quę conficit significationem doloris, aut indignationis alicuius per hominis, aut rei cuiuspiam compellationem; O miserum me, &c. O tempora, o mores.

Sunt & illa iucunda, quæ simplicem, & minus præparatã ostendũt orationem, & minus suspectos faciunt.

- Vt est, quasi pœnitentia dicti: sed quid ego ita grauem personam introduxi?
- Vel cum quærere quid nos dicamus fingimus: Quid reliquum est? nũquid omisi?
- Et cum aliqua veluti ignoramus: sed earum rerum artificem, quem?
- Et cũ deponimus aliquid apud memoriam auditorum, & postea reposcimus.

Et hæc de tropis & ornamentis tum verborũ, tum ſententiarum. — Hæc omnia dãt orationi varios veluti vultus. Gaudent ergo res varietate, vt oculi vario rerum aſpectu.

De Collocatione. *Cap.* XXXI.

Collocatio erit optima, Si { Iunctam orationẽ efficiet, Cohærentem, Lenẽ, & æquabiliter fluentem. } In ea neceſſaria ſunt, { Ordo, & Iunctura.

De Ordine. *Cap.* XXXII.

Ordinis obſeruatio eſt ĩ verbis { Singulis, Cõiunctis, } In quib. hæc sũt cauẽda: {

Ne minora maioribus ſubijciantur, ſed ſemper creſcat oratio: vnde non dices ſacrilegus, & fur.

Eſt & ordo naturalis: vnde potius dices, diem ac noctem: ortũ & occaſum, quam contra.

Quædã ordine permutato fiunt ſuperuacanea: vt fratres gemini, & gemini fratres.

Verbo, ſenſum claudere, ſi compoſitio patiatur, optimum eſt: ſed ſi aſperum potius, decori orationis conſulatur.

In ora-

In oratione enim cum verba nõ ſint dimenſa transferri poſſunt in locum vbi magis congruunt.

De Iunctura. Cap. XXXIII.

Si verba extrema ita cum conſequentibus iungemus, ne aſpere concurrant, neve vaſtius diducantur.

Aſperum concurſum efficiunt conſonantes illæ, quæ ſunt aſperiores, vt s, & x: ars ſtudiorum, rex Xerſes.

Hiulcam reddunt orationem vocalium concurſus: vt, ſi longæ vniantur: viro optimo obtemperare: ſed minus peccabit, qui longis breues ſubijciet.

Vt iũctura cõcinna, & elegans ſit, aſſequemur.

Sed in hoc diligentia non ſit nimia: nam & Plato, & Demoſthenes, & Cic ſæpe in oratione habent vocalium concurſionem.

Nam hiulca nonnunquam decent, faciuntq; ampliora quædam, & non ingratam negligentiam hominis, magis de re, quam de verbis laborantis indicant.

Vnde nimia vocalium concurſio eſt quidem vitanda; at modica & ſuo loco poſita, non eſt reprehendenda.

Videndum eſt ne ſyllabæ vltimæ verbi prioris, ſint primæ poſterioris.

Ne monoſyllaba multa continuẽtur: & itidem breuia verba & nomina: & contra, neque longa, quæ tarditatem afferunt.

Nec multa ſimiliter cadentia, & deſinentia continuentur: ſimiliter, nec verba verbis, & nomina nominibus ſubijciantur.

Verbo-

Verborum iunctura maximam desiderat diligentiam: ita tamen ne fiat operose: quia esset infinitus & puerilis labor. Stylus exercitatus efficit facilem iuncturam, & aurium iudicium.

De modo & forma verborum. *Cap. XXXIIII.*

DICENDI imperitus, quæ dicit, spiritu, non arte determinat: Inane, Inconditum, Curtum, Claudicans, & redundās, dicat.

At orator ita illigat sententias verbis, vt nihil Inane, Inconditum, Curtum, Claudicans, & redundās, dicat.

Hoc oratorio fit numero, qui aptam, & concinnam, & suauem efficit orationem.

De origine orationis numerosæ. *Cap. XXXV.*

PRINCEPS, dicitur fuisse Thrasymacus, cuius tamen nimis numerosa fuerunt scripta.

Isocrates ita rem temperauit, vt multi eum huius concinnitatis faciant auctorem.

Aristoteles, & Theodectes versum in oratione vetant esse, numerum requirunt: de quo Theophrastus accuratius præcepit.

Romani tempore Ciceronis agnouerunt numerum; de quo diligentissime Cicero præcepit.

Cur numerosa oratio inuenta. *Cap. XXXVI.*

AVRES, aut potius animus aurium iudicio, naturalem quandam in se continent vocum omnium dimensionem.

Vnde breuiora, & longiora iudicant: moderata expectant: mutila, & quasi decurtata ac immo-

immoderátius excurrentia ſentiunt, quibus offenduntur.

Cum ergo aliquid fortuito, concluſe apteque diceretur, notari potuit id, quod caſu cecidiſſet: notatio autem artem parit.

Vt ergo poetica & verſus inuentus eſt terminatione aurium, & obſeruatione prudentium, ſic etiam in oratione, licet multo ſerius notatum eſt certos eſſe concurſus, concluſionesque verborum.

De inciſis, membris, & periodis. Cap. XXXVII.

INCISVM eſt ſenſus, non expleto numero, concluſus: pleriſq; pars membri: domus tibi deerat? at habebas, &c.

Fiunt inciſa etiam ſingulis verbis; Diximus, teſtes dare volumus.

Membrum, eſt ſenſus numeris concluſus, ſed a toto corpore abruptus, per ſe nihil efficiens: o callidos homines: o rem excogitatam: o ingenia metuenda: quem quæſo, &c.

Tunc ergo incipit corpus eſſe, cum venit extrema concluſio: quem quæſo noſtrum fefellit, &c.

Periodus, Cic. ambitum circuitum, comprehenſionem, continuationem, & circumſcriptionem dicit.

Contemperetur membris omnis paulo longior circuitus: tamen aliud eſt

	Cæſim,	
tamen aliud eſt	Membratim, &	dicere.
	Circumſcripte	

Circũſcriptio eſt, cum ab initio ad finem vſq; quaſi in orbem incluſa fertur oratio, donec conſiſtat in ſingulis perfectis abſolutiſq; ſentẽtijs.

Membratim dicimus, cum in ſingulis membris liberior inſiſtit oratio.

Inciſim

Incisim dicimus, cum in singulis incisis insistit oratio.

Quomodo in his adhibendus sit numerus, dicetur, si prius de pedibus, quibus numerosa temperatur oratio, dixerimus.

De Pedibus. Cap. XXXVIII.

Pedes duarũ syllabarum.
- Spondeus — — dicunt, mores.
- Pyrrhichius υ υ nouus, tulit.
- Choreos — υ semper scribit.
- Iambus υ — leguntur, reos.

Pedes triũ syllabarũ.
- Molossus — — — conseruant.
- Trochęus, vel tribrachus υ υ υ facimus.
- Dactylus — υ υ litora
- Anapęstus υ υ — peragunt.
- Bacchius υ — — amores.
- Antibacchius υ υ — audisse.
- Creticus, vel Amphimacrus — υ — possidet.
- Amphibrachus — υ — υ petebat.

Cicero ex alijs pedibus tres tãtum ponit, pęonas duos, & dochimum.
- Pęon primus — υ υ υ aspicite.
- Pęon vltimus υ υ υ — facilitas.
- Dochimus ex bacchio & iãbo. υ - - υ - Perrhorrescerent.

De numero oratorio. Cap. XXXIX.

Quid intersit inter numerum oratorium

NVMERVM oratorium Græci, Rhythmum, poeticum, Metrum, vocant.

Quod et si vterque pedibus constet: tamen multis modis differunt.

Rhythmi spatio temporum constant, pedes etiam ordine.

In rhythmo nihil refert sit ne dactylus, an anapęstus, cum eodem temporum spatio constent:

& poeticum: & inter poema, et orationē. stent: in versu, vnus pes pro alio poni non pōt.

In versu semper idem est cursus, vt in heroico carmine dactyli & spondei; in oratione nullus est certus numerus: ibi est aliquid certum, hic non ita:

Vnde omnis nec claudicans, nec fluctuans, & æqualiter constanterq; ingrediens numerosa habetur oratio: & numerosum putatur, nō quod totum constat e numeris, sed quod ad numeros proxime accedit.

Vnde difficilior est in oratione, quam in versu numeri vsus:

In oratione maximum vitium est si versus efficiatur, & diligenter cauendum: quamuis oratio numerose cadere debeat.

In qua parte ambitus debeat esse numerus, & qui pedes maxime probentur. Cap. XL.

IN toto verborum ambitu numeri tenendi sunt, non solum in fine, vt quidam putant; licet aures finem maxime expectent.

Vnde a principio verborum comprehensio ita fluere debet, vt ad extremum veniens ipsa consistat.

Aristoteles heroum numerum grādiorem iudicat, quem soluta desideret oratio: Iambus vulgari sermoni cōgruit. Trocheus ob breuitatem, dignitatem non habet. Pœona probat, vt orienti, medię, & cadenti orationi aptissimum. Ita vt oratio non sit humilis & abiecta, sed elata, & plena.

Cicero censet omnes pedes in oratione esse permistos: vitium enim esset, si iisdem semper vteremur.

Sed Creticum, Dochimum, Dichoreum, & Pęonas cęteris anteponit: modone Dochimus iteretur.

In heroo vero dactyli, & anapęsti & spondęi, pede impune progredi licere censet: duos dumtaxat pedes, aut paulo plus, ne in similitudinem versus incidamus.

Sit

Sit igitur temperata & permiſta numeris oratio, nec tota diſſoluta, nec tota numeroſa: pœone maxime, & reliquis etiam, quos ille non recenſet.

In his quæ demiſſo & humili ſermone dicentur, ſit Iambus frequens: Pœon in amplioribus: in vtroq; dactylus.

In oratione ergo perpetua ita numeri ſunt miſcendi, vt non animaduertatur quadrandę orationis induſtria.

Quo fit, vt nullus ſit pes, qui aliquando in orationem non veniat.

De initio Periodi. *Cap.* XLI.

CLAVSVLAE diligentius, quam cętera omnia conſiderandæ ſunt: quod in his perfectio, & abſolutio iudicetur.

Proximam diligentiam initia poſtulant: nam & ad hęc intentus eſt auditor.

Optime hæc naſcuntur a proceris numeris, ac liberis, maxime dactylo, & pœone priore, cretico, anapęſto, qui par eſt dactylo, licet ordine contrarius.

Initia verſuum, initijs orationum non cōueniunt, licet Liuius hexametri exordio cęperit.

Dochimus quouis loco aptus eſt, modo ſemel ponatur: quia iteratus, numerum facit apertum.

De fine Periodi. *Cap.* XLII.

IN extremo circuitu, duo, aut tres pedes ſunt fere notandi.

Quos aut choreos, aut ſpōdeos, aut alternos eſſe oportebit: vel dichoreos.

Spondeus eſt in clauſulis firmus, & ſtabilis, quo maxime vſus eſt Demoſthenes.

Pœona alterum cadenti orationi aptiſſimū eſſe docuit Ariſt. quod & Cic. placet: ſed aptiorem iudicat creticum.

Qui ſiue geminetur, ſiue ſpondeum pręcedat, multū decoris habet in clauſulis: cui & optime iungitur Anapęſtus.

Eſt

Est etiam Dochimus stabilis & seuerus in clausulis.

Iambus trocheus, aut etiam dactylus proximus a postremo numerose concludit, si sit extremus choreus, aut spondeus. Sed male concluderent, si quis eorum in extremo locatus esset, nisi cum pro cretico postremus est dactylus; quia vltima breuis, an longa sit, non refert.

Sunt & aliæ clausulæ, quæ numerosæ concludunt, quas obseruauit Quint.

Clausulæ versuum non conueniunt orationi: cauendũ est etiam ne verbis, plurimarum syllabarum, vtamur in fine, quod etiam in carminibus est permolle.

Cum ergo clausulæ maxime appareant, variandæ sunt, ne aurium satietate repudientur.

De media Periodo. Cap. XLIII.

Si primi & vltimi pedes fuerint modo iam dicto dispositi, medij poterunt latere: modo circuitus non sit breuior, quam aures expectent, aut longior, quam vires patiantur.

Cauendum ergo est, ne verba pigra, aut longa sint, aut breuium contextu, sonum pene puerilium crepitaculorum reddant.

In medijs ergo sunt quidam conatus, qui leuiter intersistunt, vt currentium pes, etiam si non moratur, tamen vestigium facit.

Pœonem, dochimum, mediæ orationi aptum esse dixit Cic. in qua parte aliqui creticos, & bacchios laudant.

Si orationem ferri celerius volumus, crebros trocheos & iambos inseramus; si lentius, spondeos: si moderatius, pedibus vtemur, qui breuibus & longis temperantur.

De his quæ suapte natura sunt numerosa. Cap. XLIIII.

Quae dicuntur interdum suapte natura numerosa sunt, etiam si nihil factum est de industria.

Vt cum

Vt cum ſunt caſus in exitu ſimiles, & cum paribus paria referuntur. Eſt enim Iudices, hæc, nòn ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum, &c.

Quod fit item referendis contrarijs: in quo Cicero frequens eſt. Semper enim antitheta neceſſitate ipſa numerum oratorium faciunt.

Quæ vitia ſint vitanda in oratione numeroſa. Cap. XLV.

IN primis, ne aperte verba traijciantur, quo melius, aut cadat, aut voluatur oratio.

Deinde, ne inania quædam verba quaſi complementa numerorum includantur.

Tertio, ne minutis numeris concidatur, infringaturq; ſententia: ſed verba iam probata & electa concinne coagmententur: dura enim inter ſe commiſta potiora ſunt inutilibus.

His vitijs declinatis, multa numeroſe componendi laborem minuunt. Sunt enim multæ figuræ, quibus numeri poſſint variari.

Sunt etiam multa quæ idem valent, ex quibus exercitati illud eligunt, quod comprehenſioni maxime quadrat.

De magnitudine ambitus. Cap. XLVI.

HABET Periodus membra, minimum, duo; ſæpe etiam tria.

Is ambitus mediocritatē habet, vt ait Cic. qui quattuor fere membris conſtat. Nam aures implet, nec breuior eſt, quam ſatis ſit, nec longior.

Vult autem, vt e quattuor, quaſi hexametrorum verſuum inſtar, quod ſit, conſtet fere plena comprehenſio.

Debet periodus ſenſum concludere: ſit etiam aperta, vt intelligi poſſit, & non immodica, vt memoria contineri queat.

De nume-

De numero, qui est in membris: & cuiusmodi ea esse debeant. Cap. XLVII.

In oratione circumscripta est verborum comprehensio, donec tandem in clausula consistit.

Cum vero mēbratim dicimus, in singulis membris oratio insistit: quod in pronūtiando magnopere reficit spūm.

Vnde fit, vt oratio, quā membris carpimus, longior mul to esse possit, quam quæ constat circuitu.

Ita, vt aliquando ad 15. & 20. membra excurrat: Cic. pro Mil. Occidi, occidi non Spurium Melium, &c.

Nihil autem tā debet esse numerosum, quam hoc, quod minime apparet, & valet quamplurimum.

Spondeum hic Cicero vehementer commendat: nam, licet videatur tardior, habet tamen stabilem, & dignitatis non expertem gradum.

In incisionibus multo magis, & in membris: paucitatem enim pedum, grauitatis suæ tarditate, compensat.

In quo scribendi genere circumscripte, et in quo sit membratim dicendum. Cap. XLVIII.

In historia, laudationibus, & toto gñe epidictico, siue demōstratiuo, delectationis caussa cōparato, circūscriptione vtendum est; vt tanquam in orbe inclusa currat oratio.

Hoc orationis genus, nec totum assumendum, ad cōtentiones & caussas veras, nec omnino repudiandum.

Quia & satietatem afferret: & ab imperitis quale sit etiam cognosceretur.

Detrahit præterea actionis dolorem: aufert humanum sensum actoris; tollit funditus veritatem & fidem.

Sed qm̄ adhibenda est interdum numerosa oratio: videndum est quo loco, quamdiu retinenda.

Adhibenda est, si quid sit laudandum ornatius, vt fecit Cic. lib. 2. accus. Aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis desiderat, quam doloris.

Est etiam apta procemijs maiorum caussarum; vbi solicitudine, miseratione, commendatione res eget.

Sæpe etiam in amplificanda re, funditur numerose & volubiliter oratio: quod tum valet, cum ab oratore iam obsessus est is, qui audit: quia iam fauet.

Hęc forma perorationes quidē includit; sed in reliquis partibus retinenda non est diu. Nam cum supradictis locis ea vsi fuerimus tota dictio ad incisa & membra transferenda est.

Incisim autē & membratim tracta oratio, in veris caussis plurimum valet, maxime cum arguas, & refellas.

Qua ratione paretur facultas apte & copiose dicendi.
Cap. XLIX.

NVMEROSE dicendi facultas non est tanti laboris, quanti esse videtur.

Nec enim necesse est vt oratio dimetiendis pedibus, ac perpendendis syllabis consenescat.

Satis in hoc oratorem formabit multa scribendi exercitatio; vt ex tempore etiam numerose dicat.

Circumscribitur enim mente sententia, confestimq; verba concurrunt, quæ mens statim dimittit, vt suo quodque loco respondeat.

Nam, si non nulli exercitatione, ex templo versus conficiunt, quāto facilius oratio soluta numerosa fieri poterit? cum nihil sit oratione flexibilius; vt facile sequatur quocunque ducas: veluti mollissima cera.

Neminem ergo pedum varietas conturbet, qui sponte sese offerent, modo exercitatio adsit: vt patet in arte musica, &c.

Quanti momenti sit apte dicere. Cap. L.

QVANTI momenti sit apte dicere experiri licet; si, aut cōpositi oratoris bene instructam collocationem dissoluas, permutatione verborum. Vt si periodum aliquam Cic. peruertas:

Aut, si alicuius inconditi, arripias dissipatam aliquam sententiam, eamque ordine verborum paullum commutato, in

to,in quadrum redigas:

Verum,composite & apte sine sententijs dicere, insania est;sententiose autem,sine verborum ordine, infantia.

Eloquens vero,qui dicēdo,plausus,admirationes,& clamores mouere debet, ità debet dicere, vt ei turpe sit, quidquam aut spectari,aut audiri libentius.

Quare,cum hanc eloquentiæ partem Aristoteles, Theophrastus, Demosthenes, & Tullius tanti fecerint, eam nobis debemus summa industria comparare.

De tribus dicendi generibus. Cap. LI.

Aliud dicēdi genus desideratur { In paruis caussis, In modicis, In grauissimis. } { Nec solum variæ caussæ varium dicendi genus efflagitant, Sed etiam eiusdem orationis diuersæ partes.

Vnde quot sint dicendi genera, & in quibus caussis, & orationis partibus adhibenda sint, dicendum est.

Tria sunt dicē di gn̄a in quib. perfectus debet florere orator. { Vnum subtile, acutum, & tenue. Alterum vehemens, copiosum,& graue. Tertium interiectum, & quasi temperatum.

Cū tria sint orationis officia, { Docere, Mouere, Delectare, } { Subtile, in probando, Vehemens, in flectendo, Modicum, in delectando versatur.

In genere subtili orationis forma {
Dēt esse a vinculis numerorū libera & soluta:
Non tamen vaga, vt ingredi libere, non vt licentior videatur errare.
Diligentia ēt coagmētandi verba p̄termittenda est, & omnis insignis ornatus remouendus.
Ponentur tamen acutæ, crebræq; sententię:
Ornamenta verborum & sententiarum, cum tropis verecunde parceq; adhibebuntur.
Translationes poterunt esse crebriores, non tamen ita crebræ, vt in genere amplissimo.

†††† 2 Vberius

Genus temperatum,
- Vberius est aliquanto,& robustius, quam humile, de quo dictum est.
- Summissius tamen, quam illud, de quo dicetur, amplissimum.
- Huic omnia dicendi ornaměta conueniunt; plurimumq́; est in hac oratione suauitatis.
- In hoc, verborum cadũt lumina omnia, multa etiam sententiarum.
- In hoc genere neruorum vel minimum, suauitatis autem est, vel plurimum.

Genus amplum, & copiosum.
- Vim habet vel maximã: modo enim perfringit, modo irrepit in sensus,&c.
- Hic orator defunctos excitabit, patriam loquentem faciet, aliquem alloquetur, &c.
- Hic amplificationibus extollet orationem, & vi superlationum quoque eriget, & per omnes affectus tractabit.

His tribus generibus vtetur orator.
- Vt res exigit.
- Ne pro caussa modo,
- Sed pro partibus caussæ.

Huius tripartitæ varietatis moderator, magni debet esse iudicij, vt possit quocunq; modo caussa postulat, dicere.
- Ad caussas tenues, vt est caussa pro Cecinna; summissum genus accommodabit:
- Ad graues, qualis est Rabirij, vehemens:
- Ad mediocres, vt est caussa pro lege Manilia temperatum:

In eadem etiam oratione, ad
- Conciliãdũ, mediocre;
- Docendũ, & probandũ, subtile,& enucleatum,
- Ad mouendũ, graue adhiberi debet.

Est enim eloquentis proprium.
- Parua summisse,
- Modica temperate,
- Magna grauiter dicere.

Quæ

Variandũ est etiam dicendi genus pro ratione personæ	Quæ dicit, quæ audit, cum non eadem sit cuiusque auctoritas, fortuna, & nomen. Pro ratione locorum ac temporum. In omnibus ẽt rebus vidẽdum est, quatenus; & magis offendit nimium, quam parum. Vnde sit eloquentiæ fundamentum, sicuti & aliarum rerum, sapientia.

De Memoria. *Cap. LII.*

MEMORIAE inuentor dr̃ Simonides, qui obtrita conuiuarũ corpora, ex loco, qui quisque esset, discreuit.

Quo facto notatum est, memoriam signatis animo sedibus iuuari.

Quod etiam quisque suo experimento credere põt: quia cum in loca post tempus redimus, reminiscimur eorum, quæ ibi facta sunt.

An memoria sit eloquentiæ pars. *Cap. LIII.*

LICET memoria sit eloquẽtiæ cũ alijs artibus cõis: tamen artificiosa memoria oratoriæ pars existimatur.

Nesciretur enim quanta vis eius esset, nisi in hoc lumen orandi vim extulisset.

Non enim solum rerum, sed ẽt verborum ordinẽ præstat, & propemodũ infinita complectitur, vt potius audiendi patientia, quam memoriæ fides deficiat.

Non immerito igitur thesaurus eloquentiæ dicitur.

De artificio memoriæ. *Cap. LIIII.*

MEMORIAE artificium a veteribus traditum, constat { Locis, & Imaginibus.

Qui volũt hãc ingenij partem excolere, de locis hæc obseruent:	Loca multa animo capiãt spatiosa. Multa varietate signata, explicata modicis interuallis. Vt ædium fere magnarum, aut alterius artificij: Quæ sunt diligẽter animo affigenda, vt

da, vt ſine cunctatione occurrant.

Tum quæ fuerint ſcripta, vel cogitata his locis ſunt commẽdanda, ſignis, quę eorum memoriam excitẽt notata.

Loca quæ ſumpſeris egregię commoditerq́; notare oportebit, vt perpetuo hęrere poſſint.

Quæ fuerint ſcripta, vel cogitatá, locis commendanda ſunt, ſignis, quæ eorum memoriam excitent notata.

De imaginibus.

Imagines dictis locis ordine ſunt collocãdæ.

Cum memoria repetenda fuerit, ab initio loca recenſenda ſunt, & quod cuique credideris repoſcendum.

Nam ordo locorum, ordinem rerum conſeruat: & res ipſas, imagines notant.

Vtendum eſt imaginibus aliquid agentibus, & acribus, inſignitis, quæ occurrere & celeriter percutere animum poſſint.

Quæ imagines pro rerum varietate ſubinde mutandæ ſunt, locis permanentibus.

Quid conferat memoriæ artificium. Cap. LV.

PRODEST memoria artificioſa ad multa rerũ nomina audita per ordinem repetenda, & ad res ordine diuerſas complectendas.

At ad ſingula perpetuæ orationis verba perdiſcenda, nihil fere prodeſt: quia ſingulorum verborum imagines memoriæ mandare inutile eſt, & infinitum.

Si longior oratio memoriæ mandanda fuerit, proderit per partes diſcere.

Non erit inutile aliquas apponere notas, quarum recordatio excitet memoriam.

Iuuabit, iiſdem, quibus ſcripſeris chartis, ediſcere.

Maxima tamen memoriæ ars, eſt exercitatio, & labor.

Quan-

Quantũ studio naturaq; valeat memoria, multorũ excẽplo, vt Themistoclis, Mithridatis, & Cyri constat.

De Pronuntiatione & eius vtilitate. *Cap. LVI.*

Vt pronunciatio a voce, ita actio, a gestu dicitur.

Quæ vna pars in dicendo dominatur.

Sine qua summus orator esse in numero nullo potest: mediocris, hac instructus, summos sæpe superauit.

Vt merito Demosthenes huic parti primas, secundas, & tertias dederit.

Est etiam actio, quasi quædam corporis eloquentia.

Est aũt in duas distributa partes, s. in { Vocem, quæ aures mouet; Gestum, qui oculos } Per quos duos sensus omnis ad animum penetrat affectus.

De Voce. *Cap. LVII.*

Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce mouentur.

Vtcunq; ergo orator se affectum videri, & animum audientis moueri volet, ita certum vocis admouebit sonum.

Iracundia postulat vocis genus acutum, incitatum, crebro incidens.

Miseratio & mœror, flexibile, plenum, interruptum flebili voce.

Metus, demissum, hęsitans, abiectum.

Vis, contentum, vehemens, imminens, quadam incitatione grauitatis.

Voluptas, effusum, lene, tenerũ, hilaratum, ac remissum.

Molestia, sine commiseratione, graue quiddam, & vno pressu, ac sono obductum.

Ac quidẽ vocis bonitas optãda, sed tractatio in nobis est.

Prius ergo orator, variabit, & mutabit, omneq; sonorũ tum intendens, tum remittens, prosequetur gradus.

Nec

Nec modo in diuersis rebus, sed ēt in ijsdē partibus ijsdemq; affectibus, quasdam non ita magnas vocis mutationes adhibebit. Nā varietas, cum gratiā prębet, ac renouat aures, tum dicentem ipsa laboris mutatione reficit.

De Gestu. *Cap. LVIII.*

VOCEM subsequi debet gestus, & animo, simul cum ea, parere.

Gestu sic vtendum est, vt nihil in eo supersit.

Status erit erectus, & celsus.

Rarus incessus, nec ita lōgus: excursio moderata, & rara.

Nulla mollicia ceruicum; nullæ argutiæ digitorum.

Trunco magis toto se orator moderabitur, & virili laterum flexione.

Brachij porrectione, in contentionibus; contractione, in remissis.

Pedis supplosione in contentionibus, aut incipiendis, aut finiendis.

Sed in ore sunt omnia: in quo, dominatus, est oculorum: quoniam omnis actio est animi, & imago animi vultus est, indices oculi.

Hæc vnica pars corporis, quot animi sunt motus, tot significationes & commutationes potest efficere.

Nō est oris species nimis immutāda: ne, aut ad ineptias, aut ad prauitatem aliquam deferamur.

Oculorum igitur remissione, coniectu, hilaritate motus animorum significabimus apte cū genere ipso orationis.

Est enim actio quasi sermo corporis, quo magis menti congruens esse debet.

Finis Tabularum Libri Tertij.

Laus Deo Opt. Max. & B. Virgini Annunciatæ.

DE ARTE DICENDI LIBRI DVO:

In quorum vno de Rhetoricæ natura & caussis, in altero vero de partibus copiose accurateque disputatur.

Auctore Ludouico Carbone a Costaciaro, Academico Parthenio, & Sacræ Theologiæ in Almo Gymnasio Perusino olim publico professore.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, M. D. LXXXIX.

Ex Officina Damiani Zenarij.

ILLVSTRISSIMO,
& Excell.mo Domino,
D. VICTORI CAPELLO
EQVITI DIGNISSIMO,
LVDOVICVS CARBO S.D.

INTER *alia, quæ docte sapienterque a M. Tullio pronuntiata fuisse legimus, Illustrissime Eques, ea mihi semper placuit sententia, quam his elegantissimis verbis, nobis scriptam reliquit. Pudeat eos, qui ita se literis abdiderunt, vt nihil possint ex his, neque ad communem afferre fructum, neque in aspectum lucemque proferre. Etenim, cum non nobis solis, vt est apud Platonem, nati simus, sed & parentes, & amici, & patria ortus nostri aliquam sibi partem iure naturæ vendicet: ij pro-*

fecto cum natura pugnare videntur, qui, cum possint, quæ ipsi didicerunt, cum alijs, vel docendo, vel scribendo communicare, nolunt. Hinc factum est, vt ab eo vsque tempore, quo aliquos in bonis studijs progressus feci, non dubitauerim, etiam si, quam parum in me, vel ingenij, vel doctrinæ sit, optime intelligam, aliquid in publicam vtilitatem, literis committere. Propterea his annis arduum opus, & dignum in quod omnes industriæ meæ neruos intenderem, conficiendum suscepi: in quo, quæ ad diuinas literas recte intelligendas & explicandas sunt necessaria, viginti quinque libris, complexus sum: quos in dies, quantum per alias occupationes licet, polire & amplificare nitor. Cum ergo in hac suscepta materia superioribus mensibus elaborarem, sacrosque codices euoluerem, in omnibus fere diuinis libris summum dicendi artificium, omnes inquam ad persuadendum locos, omnes tropos, omnes verborum & sententiarum figuras, amplificationes omnes, & denique quidquid est apud bonos Scriptores artis, esse animaduerti: ad quam artem obseruandam, cum in meo opere non nihil admonere vellem, id vt facilius præstare possem, meliorum Rhetorum scripta, mihi repetenda, & diligenter legenda esse iudicaui. Opere itaque ipso, quod præ manibus habebam posito, optimos quosque de Arte dicendi Scriptores euoluere cepi. Et, cum inter legendum, dicendi artem omnibus studiosis maxime necessariam, noua qua-

dam

dam ratione, quæ ab alijs dicta sunt in vnum volumen colligendo, & singula eodem fere modo, quo sua Philosophi explicare solent, examinando, ac iudicando, tradi posse viderim; huius immensi pęne laboris prouinciæ suscipiendæ me tanta cupido incessit, vt rem meis viribus imparem, & a meis studijs alienam aggredi non dubitauerim: eo tamen consilio, vt quos in re profana posuissem labores, eos aliquando ad sacra studia referrem. Rem igitur omni animi contentione aggressus, paucorum mensium spatio, duodecim de Arte dicendi libros, rudi quadam ratione conflaui, quos quotidie, magno cum labore atque industria, perpolire contendo. His autem diebus, dum in hac suscepta prouincia versabar, accidit, Excellentiss. Eques, vt tecum primum sermonem habuerim: cumque quid eo tempore molirer, de me quæsiuisses, me in præfato opere laborare, respondi: cuius omnem fere dispositionem, totamq; summam, a te rogatus, tibi breuiter exposui. Tu, quæ tua fuit humanitas, conatum consiliumque meum summopere probasti, atque ad institutum opus quamprimum perficiendum vehementer animasti. Cum tuæ itaque voluntati obtemperare percuperem, viderémque ob rei magnitudinem atque difficultatem, non nisi post longum tempus totum integrum volumen in lucem dari posse; decreui, cum in præsentia Tabulæ Rhetoricæ Cypriani Soarij mihi edendæ essent, duos suscepti operis libros, vtcunque factos,

typis committere, vt quantum tibi satisfacere cupiam, hinc facile perspiceres. Hos ergo primos editurus libros, tibi tanquam primo ad id faciendum auctori, iure dicandos esse existimaui: tibi inquam, cui hos paruos fructus gratos fore confido, cum ex sermonibus tecum habitis, quantum eloquentia delecteris, facile perspexerim: tibi, qui non in ludis, vanisque voluptatibus, sed in solis studijs delectationem quæris: tibi denique, qui, quę ad mea studia colenda, & inchoata opera perficienda mihi essent necessaria, sæpe es pollicitus. Qua tanta tua in me beneficentia factum est, vt tantum me tibi debere sentiam, quantum hoc meo munusculo, quod tibi quanto maximo possum studio, offero, atque dico, persoluere minime possum. Atque multa hic mihi, dum de tuis virtutibus mentionem facio, sese offerunt, quę cuique eloquenti, & in dicendo exercitato homini amplum ad dicendum præberent campum, in quo fuse lateq; excurreret oratio: in quem ego nunc sane ingrederer, ni timerem, me potius virtutes tuas minuere posse dicendo, quam silentio amplificare tacendo. Silentio itaque hoc loco præteribo tuam in rebus domesticis magnificentiam, in familiam humanitatem, in omnes qui tecum agunt affabilitatem: tuam rerum humanarum notitiam, reip. administrandæ cognitionem, summum in homines studiosos studium, & singularem de eis benemerendi voluntatem: quam tantam in te vno esse vere fateri possum, quantam in multis alijs, qui se id præstare profitentur, ha-

tur, hactenus non vidi: quam singularem virtutem ingenuo & prestanti natura ornato homine dignam, tuæ posteritati imitandam relinques: tuam deniq; in aduersis rebus ferendis constantiam & sapientiam. Quam ego in te facile perspexi, cum ex grauissimis, acerbissimisq; fortunæ casibus, qui in te paruo temporis spatio incursarunt, plus vtilitatis, & quietis, mihi tecum de rerum humanarum vanitate loquenti, te percepisse, ex animo, affirmasti, quam, si ea, qua prius vtebaris prospera fortuna, in omni vita vsus fuisses. O preclaram hominis Christiani vocem, & infracti animi viro dignam. Confirmasti postea mirum in modum hanc meam de tua constantia conceptam opinionem: quoniam, cum paucis post diebus in grauissimum morbum, & vt Medici aiebant, non facilem curatu, incidisses; mihi, cum te officij caussa inuisissem, te ex corporis ergastulo libentissime migraturum, quando ita Deo placuisset, læta fronte affirmasti: quamuis senio confectus, & singulari pietate ornatus Pater, summa pudicitia, suauissimisq; moribus prædita Vxor, vnicus, & ob præstantem naturam, egregiamque indolem, tibi tua vita carior, adhuc puer Filius, ac denique multa, quibus abundas huius mundi commoda, tibi relinquenda essent. Vt is, qui de cælestibus, ac sempiternis bonis in beatorum cœtu perfruendis spem haberes: quam ij profecto habere debent, qui honeste viuunt, qui sacras ædes religionis caussa frequentant, qui conciones audiunt, qui

 sæpissime

ſæpiſſime Eccleſiæ ſacramenta ſuſcipiunt, & alia id genus pietatis opera, vt tu facis, exercent. Has itaque & alias multas animi tui virtutes, mihi, Illuſtriſs. Eques, illuſtrare dicendo liceret, idq; ſane facerem, ſi tantum in me eſſet eloquentiæ, quantum in eo eſſe deberet, qui ſe id efficere poſſe conſideret. Id autem parum, quod dixi, & id multum quod de te dici poſſe affirmaui, me, non gratiæ, ſed veritatis ergo dixiſſe, ij profectò credent, qui meas viuendi rationes norunt: cum a nulla re magis, quam a vana, & vero homine prorſus indigna adulatione, abhorream. Tuæ igitur humanitatis erit, maiorem tuarum laudum prædicationem a me non depoſcere, cum id, me præſtare non poſſe, veriſſime fatear: & hoc quicquid eſt muneris, libenti animo excipere, atque interim eo perfrui, donec aliquid maius, & tua amplitudine magis dignum, tribuam: cum ad id faciendum, tuis ſingularibus in me officijs, quotidie magis magisq; prouoces. Vale.

PRÆ.

PRÆFATIO
AD LECTOREM;

In qua totius operis de Arte dicendi proponitur œconomia.

CVM opus, quod de Arte dicendi faciendum ſuſcepimus, amice Lector, longe maius, ac difficilius exiſtat; quã a principio exiſtimauimus; ita vt ad illud perficiendum longum temporis ſpatium nobis ſit neceſſarium; eo conſilio nunc duos tantum libros ſeorſim edere voluimus; vt, ſi eos tibi gratos accidiſſe intellexerimus, ad reliquos perficiẽdos diligentiorem nauemus operam. Et, vt quid in reliquis a nobis expectare poſſis, cognoſcas, placuit in præſentia totius operis œconomiam tibi ob oculos proponere, &

quam

quam secuti sumus tractandi rationem, eam breuiter aperire. Totum itaque opus in duas erit distributum partes: in quarum vna, quæ ad eloquentiæ vim atque naturam enucleandam pertinent, ea prosequemur omnia: in altera vero ea tractabuntur, quæ in arte rhetorica continentur. Priorem partem quattuor libris complectemur, quorum nunc primum, & secundum in lucem damus: ac proinde, quæ in eis tractantur recensere, nihil erit necesse. In primo itaque decem disputationibus rhetoricæ naturam, caussasque explanabimus. In secundo agetur de caussis efficientibus eloquentiam seorsim, his disputationibus: an eloquentia sit a natura: an sit ab arte, & quid ars præstet: quando, & a quibus fuerit inuenta, & apud quos floruerit: an exercitatio sit caussa eloquentiæ: de optima exercitationis ratione: an imitatio sit caussa eloquentiæ: de optimo genere imitationis: dubitationes quædam circa imitationem: an Rhetorica sit pars Philosophiæ: an sit antistropha dialecticæ, & quomodo ab ea, & ab alijs artibus distinguatur, &c. In tertio, qui nunc in lucem datur, decem disputationibus agitur de quinque rhetoricæ partibus. In quarto, de officijs oratoris. De natura officij: de numero officiorum oratoris: an docere sit ora

toris

toris officium: an mouere: an liceat mouere affectus: an delectare: de iocis: an, vt Orator doceat debeat esse omnium rerum cognitione peritus: an, vt moueat, debeat esse vir bonus: de dignitate, vtilitate, & necessitate eloquentiæ. Et hic erit finis prioris partis. In tribus sequentibus libris agetur de inuentione, quæ est prima eloquentiæ pars. In quincto, de tribus generibus caussarum: de diuisione, & generibus quæstionum: an tria sint caussarum genera: quomodo appellari debeant: quomodo omnes dicendi formæ ad tria genera orationis reuocari possint: de genera demonstratiuo: de deliberatiuo: de iudiciali: quod genus sit præstantius, &c. In sexto de statibus: de nomine status: de definitione status: quot sint genera statuū: a quo oriatur status: de statu coniecturali: de statu definitionis: de statu qualitatis: de singulis partibus huius status: de statu legitimo, & eius partibus: an status & iudicatio inter se differant: de ratione inueniendi status, &c. In septimo agetur de inuentione oratoria, & dialectica, hoc est de locis vnde argumenta sumuntur, per multa capita, noua quadam ratione: & quia hunc librum intra paucos dies emittemus, ideo quæ hic tractantur, cum varia & multa sint, in præsentia recensere

censere nolumus. In octauo agetur de dispositione, & de partibus orationis, vbi hæ fere tractabuntur quæstiones: de numero partium orationis: de natura exordij: de exordij virtutibus & vitijs: qualia debeāt esse in omni genere caussarum exordia: de natura narrationis: de partibus narrationis: de virtutibus & vitijs narrationis: de partitione seu propositione: de vsu, quantitate, & qualitate partitionis: de confirmationis natura: de locis confirmationis: de speciebus argumentationis: de enthymemate rhetorico: de partibus ratiocinationis: de amplificatione, expolitione, & illustratione: de refutatione & eius locis: de peroratione, &c. A nono vsque ad vndecimum agetur de elocutione. In nono de elocutione & ornatu verborum in communi: de ornatu singulorum verborum: de tropis: de figuris, latissime per multa capita: de rerum & verborum copia. In decimo: de verborum structura & collocatione: de membris & incisis: de periodis: de longiore periodo, seu de spiritu: de pedibus: de numero oratorio: de vsu numeri oratorij, &c. In vndecimo: de formis, seu ideis orationis, vbi Hermogenis hac de re doctrina perspicue his disputationibus explicabitur: Quid & quotuplex sit dicendi figura, seu idea: de

idea

idea orationis quæ dicitur aperta: de perſpicuitate, ſeu elegantia: de venuſtate & feſtiuitate: de circumductione, ſeu magnitudine: de pulchritudine: de oratione morata: de oratione acuta, ſeu acrimonia: de moderatione, veritate, & grauitate: de apta dicendi forma: de ciuili, ſeu forenſi dicendi genere, &c. In duodecimo agetur de memoria, & pronuntiatione. Quod autem attinet ad rationem, & diſſerendi methodum, quam in his noſtris diſputationibus ſeruabimus, quamuis eam liceat ex his, quos edimus libros, facile animaduertere: tamen in gratiam eorum, qui non ſunt in hac ſcribendi forma verſati, paucis eam aperiam. In omnibus itaque diſputationibus hanc fere ſcribendi methodum ſeruabo. Primum, quando opus fuerit, propoſitæ diſputationis ſententiam explanabo: deinde argumenta afferam, quæ rem in dubium reuocabunt: poſtea, auctorum varias ſententias, quando inter ſe diſſentient, fideliter referam: poſt hæc fundamenta quædam proponam, vbi diligenter rem totam de qua agitur enucleabo: ad hæc varijs poſitionibus, quid ſit reijciendum, quid tenendum, rationibus adhibitis, demonſtrabo: tandem argumenta in contrarium allata diſſoluam. Et hæc erit fere ſemper

noſtra

noſtra differendi ratio. Illud autem eloquentiæ ſtudioſis polliceri poſſum; eos, in hoc noſtro opere, habituros omnia perſpicue, & ordinate explicata; quæ apud omnes meliores huius artis ſcriptores hactenus ſcripta fuere: ita vt hoc vnicum opus, pro omnibus, ſatis ſit futurum. Quod vero ad phraſim elocutionemque attinet, & ſi de eloquentiæ natura ſcribo, atque ornate loquendi præcepta trado: tamen ſimplici vtar ſcribendi ſtylo, nulla induſtria, aut arte elaborato, ſed ab omni affectatione remoto. Quare mei lectores, a me, qui eloquentiam non profiteor, non verborum nitorem, latinæque linguæ puritatem, ſed ſolam doctrinam, eam tamen, quam præbere poſſum, requirant. Et cum nobis illud propoſitum ſit, vt potius ſcribendo clare docere, quam delectare velimus; ideo eam amplexi ſumus ſcribendi rationem, qualem, qui docere volunt, ſequi profecto debent; planam nimirum atque apertam, non nimis amplam, aut coarctatam, non omnino dialecticam, nec plane oratoriam, quam qui docendo ſequuntur, faſtidioſi, & obſcuri ſunt. Quam etiam ob cauſſam, Ciceronis auctoritate nixi, non abſtinuimus ab ijs vocibus, quæ rem aperte, licet non ita eleganter, docent. Si quis autem, cur nos, qui

in

in rhetorum ſcholis, & libris parum verſati ſumus, de arte dicendi poſt tot tantoſque Scriptores (quaſi in alienam meſſem manus mittendo) aliquid litteris committere auſi fuerimus, intelligere cupit, Epiſtolam legat nuncupatoriam. Verum, inſtituti noſtri rationem, cum integrum opus fauente Deo, foras dabimus, pluribus explicare conabimur. Interim amice Lector, his noſtris fruere laboribus, & omnia boni æquique conſulo, ac iuuandæ iuuentutis voluntatem lauda; & ſi quid errauimus, Chriſtiano animo corrige, atque nobis in grauioribus operibus conficiendis valde occupatis, aliquid condona. Liberam itaque omnibus meis Lectoribus, M. Tullium, & diuum Auguſtinum imitatus, facultatem tribuo, vt, quæ ego fortaſſe minus probabiliter, aut vere dixero, refellant, & veriora afferant; quod illis, & ob maiorem ingenii præſtantiam, ac temporis ſpatium, facere forte licebit. Satis enim erit nobis, qui primo, vt exiſtimamus, hac, de re rhetorica ſcribẽdi ratione, vſi fuimus, & multa quæ ab alijs non dum tacta, aut non plane explicata, & iudicata fuerunt, explanauimus; ſi alijs veritatis inueniendę occaſionem præbuerimus. Illud tamen refellendi cupidos monuerimus, caueant, ne dum noſtra damnare volunt, viros doctos

& in

& in dicendo verſatos damnent: cum nihil fere docuerimus, quod non ſit alicuius grauiſſimi viri auctoritate munitum. Habes ergo, amice Lector, ſummatim (nec enim omnes diſputationes, & rerum explicandarum capita propoſui) quid a me in reliquis libris expectare poſſis, in quibus conficiendis, dies noctesque deſudo: quod, dum ego facio, tu Deum Opt. Max. pro me ora, vt ad eius gloriam, publicamque vtilitatem, ſuſceptum opus aliquando perficiam.

DE

DE ARTE DICENDI LIBER PRIMVS:

In quo de Rhetoricæ & Eloquentiæ natura diſputatur.

De nominibus Rhetoricæ, & Rhetoris Diſputatio Prima.

SAPIENTER *illud, vt & alia omnia, Socrates ille, qui Apollinis oraculo virorũ ſapientiſſimus iudicatus fuit, mihi pronũciaſſe videtur, Nominum cognitionem eruditionis eſſe principium. Etenim, vt aliquando præclare dixit Epictetus, quoduis vocabulum,*

Lucian. dialogo amores.

Cic. lib. de Sen.

Apud Arian.

tabulum, si eius vim perspexeris, proprij operis rationem describit. Cum ergo omnis nostra de Rhetorica futura sit disputatio, a nominis notatione, vt eius vim atque naturam perspicue explicare possimus, nobis initium capiendum fuit. Et vt a principio eam ingrediar docendi viam, quam in præfatione mihi tenendam esse proposui, non nullas afferam rationes, quibus hanc artem nullo sibi congruenti nomine appellatam fuisse, demonstrabo. Nam, vt Aristoteles prudenter scriptum reliquit, ij solum facile veritatem inueniunt, qui norunt dubitare: cum veritatis inuentio sit dubitationis solutio. Neque enim scit, quo pergat, & an aliquid inuenerit, is, qui sine dubitatione quærit. Quod igitur hæc facultas nominibus non idoneis nominata fuerit, his rationibus demonstro.

Libro 3. Met. c 1.

Primum, apud omnes, tum Græcos, tum Latinos dicendi magistros, hæc ars appellatur, Rhetorica, a quodam verbo græco, quod, fluere, significat: atqui hoc nomen, nullam cum re ipsa, vel eius parte, vel effectu cognationem, ac similitudinem habet, quam profecto habere debet nomen congruenter impositum: siquidem ars, quæ bene dicendi præcepta docet, nihil habet commune cum aqua, vel fluminis fluxu; igitur.

Cic. in Orat.

Deinde,

Deinde, is qui est hac arte præditus, ab eloquendo, vt M. Tullius scribit, eloquens, sicuti ars ipsa, eloquentia, nominatur; quod elocutio huius artis præcipua pars esse putetur: verum, id, si spectare velimus, potius hic artifex, Inuentor, & ars ipsa Inuentrix nominanda esset; cum Inuentio, vt grauiores dicendi magistri docent, sit prima ac pręcipua huius facultatis particula: quod nos alio loco planius demonstrabimus. Non est igitur hoc nomen congruenter positum. Huc facit, quod Tullius, & quidam alij huius facultatis scriptores, suos libros, de Inuentione, inscripserunt. Et cur etiam non est ei impositum nomen ab actione, quæ vna in dicendo dominatur, cui summus orator Demosthenes primas, secundas, & tertias tribuit? In orat. Hermoge. Cic. in Orat.

Postea, in eo peccare videntur, qui de hac arte scribunt, quod multis eam nominibus appellare solent; cum vnius rei, vnum debeat esse nomen: quare tot nomina, vel sunt superuacanea, vel inepte posita.

Postremo, vt multas alias rationes, quas possem afferre, omittam, nomina, quæ huic arti maxime propria esse censentur, conueniunt etiam poeticæ, cum ipsa quoque sit facultas dicendi, & eloquentia quædam: igitur incongrue nominatur: cum nomen apte consti-

tutum, ei solummodo rei debeat conuenire, ad quam nominandam fuerit impositum.

Ad huius quæstionis explicationem, cum nulla sit hic opinionum diuersitas, quædam fundamenta, vt allatæ rationes facilius dissoluantur, nobis ponenda sunt.

Primum fundamentum, in quo etymologiam, ac vsum harum vocum, Rhetorica, & Rhetor, explicabimus. Hæc vox, Rhetorica, græca est, qua tanquam sua, vt & alijs multis vtuntur Latini: ducta, vt non nulli arbitrantur a verbo antiquo, & inusitato ῥέω, quod olim apud auctores Græcos, dicere, seu eloqui significasse, quidam scribunt; idq; Hesiodi auctoritate confirmant: nunc vero, idem quod, fluo, significat. A quo verbo deflexa sunt hæc nomina, ῥῆσις. i. dictio, locutio: ῥῆμα, id est, verbum: ῥητορικὴ, idest dicendi facultas, seu eloquentia: ῥήτωρ, & ῥητὴρ. i. dictor, eloquens, vt Cicero vertit, ac dicendi præceptor: hinc etiam ῥητορεύω. i. dico, declamo, oro. Sunt tamen alij, qui has voces a verbo εἴρω, quod dicere significat, ductas fuisse existiment: Verum, siue ab vno, siue ab altero verbo originem trahere, quis dixerit, non magni refert. Quidam volentes nomen, Rhetorica, in latinum sermonem transferre, dixerunt, oratrinum, & oratoriam: sed prior appellatio minus

Matt. Phris. in Rodol. libro 2. c. 28.

Ioan. Mer.

nus

nus apta esse videtur; cum, oratrix, potius fœminam orantem, quam artem ipsam designet: altera vero, cum potius adiectiui, seu appositi vim habeat, per se sola, non artem ipsam, sed quod ad artem pertinet significabit: sed si dicas vis, facultas, & ars oratoria graeci vocabuli vim assequeris: quo modo sępe M. Tullius loquitur: & Graeci non solum dicunt, Rhetorica, sed etiam, Ars Rhetorica. Vnum tamen est apud Latinos verbum, quidquid Quinctilianus dicat, quod omnem graeci verbi vim complectitur, nimirum, Eloquentia; quae interpretatio non debet dura videri, cum ea M. Tullius vsus fuerit, & boni auctores vtantur omnes. Quod si a dicendo, liceret dicere, Dicentia, sicuti ab eloquendo Eloquentia, eiusdem verbi graeci significationem exprimeres: sed nihil est necesse, vt nouum fingatur verbum, cum idoneum ab ipso latinae linguae parente iam factum, habeamus. Illud tamen fatendum est, graecum verbum vsitatius esse, quam vllum latinum: quod in omni fere artium & scientiarum nominibus, vt Cicero scripsit, accidit.

Quinct. libro 2. cap. 14.

Lib. 1. de Inuẽ. Hier. Capid. in cõm. ad Heren.

Libro 1. Acade. quaest.

A Rhetorica, dictus est Rhetor, latine, eloquens, orator, dicendi magister: & rhetoricus, rhetorica, rhetoricum, quod ad artem dicendi pertinet: vnde rationes, & partitio-

Cicero lib. 1. de Inuen. Lib. 1. de Ora. Cice. lib. de Fato. *nes rhetoricæ; libri, & loci rhetorici, ideſt oratorij: & rhetorico more loqui, hoc eſt oratorio; & rhetoricus, qui eſt ad dicendum aptus: & in numero multitudinis, Rhetorica rhetoricorum, pro ipſa arte, vel libris rhetoricis, & oratorijs, dicimus. Quod autē ad huius vocis vſum attinet, duobus fere modis hæc vox Rhetorica, apud Scriptores, vſurpari ſolet: interdum ponitur pro ipſa dicendi facultate in actione poſita, quæ in foro & concione verſatur, quæ proprie eloquentia nominatur. Ita* Lib. 1. de Inuent. *accepiſſe videtur M. Tullius, cum dixit, artificioſam eloquentiam, rhetoricam appellari:* Lib. 2. de Fin. *& cum de Zenonis ſententia, Rhetoricam palmæ dilatatæ ſimilem eſſe ſcripſit. Interdum vero* Lib. 2. de Inuē. *pro ipſa arte, quæ bene dicendi præcepta tradit; qua qui eſt præditus, non continuo eſt eloquens: ita accepit Tullius, cum dixit; Eum, qui rhetoricam ſcribit, de eius materia & partibus ſcribere oportere. Eodem modo, Rhe-*Lib. 2. de Fin. *tor, aliquando pro, Oratore, & viro eloquente, qui in foro cauſſas agit; quo modo accepit Tullius, cum dixit, orationem perpetuam, non ſolum Rhetorum, ſed etiam Philoſophorum* Lib. 1. de Inuē. *propriam eſſe: & alio loco, cum ait, Rhetoris officium eſſe verſari in tribus generibus cauſſarum: & paulo infra, pro Rhetore in eadem ſignificatione, oratorem dixit. Aliquando pro*

dicendi magiſtro, qui ſolum artis præcepta, aut ſcribit, aut docet. Hac ſignificatione idem auctor vſus eſt, cum deridendos eos eſſe dixit, qui Rhetorum præceptis omnẽ oratorum vim, complexos eſſe arbitrantur. Ex quibus colligere licet, cautionem magnam in Græcorum ſcriptis interpretandis, adhibendam eſſe, ne quis pro arte, quæ præcepta docet, eloquentiam, aut pro eloquentia artem ipſam ponat: & pro eloquente, eloquentiæ magiſtrum, & contra: cum Rhetor apud Græcos is interdum dicatur, qui apud populum conciones habet: interdum vero qui ipſam dicendi artem profitetur. Atque de his duabus vocibus hactenus. Lib. 3. de Ora. Suidas.

Secundum fundamentum, in quo explicabitur, vis & vſus huius vocis, orator. Vt ergo Latini, rem quam tractamus vim facultatem, & artem oratoriam appellarunt; ita eum qui eſt hac facultate præditus, Oratorem ab orando; ſeu, ab oratione in qua excellit, nominarunt. Orare autem apud latinos Scriptores, interdum, idem, quod, petere, ſignificat. Quo factum eſt, vt Legati, qui ad aliquid petendum mittuntur, Oratores dicantur: vt miſſis alijs auctoribus, ex hoc Virgilij loco, manifeſte colligere licet. Cic. in Orat. In Bruto. Liu.

Tum ſatus Anchiſa, delectos ordine ab omni Lib. 7. Aen.

Centū oratores, augusta ad mœnia Regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes.

Sæpe etiam, orare, idem significat, quod dicere & caussas agere: vnde caussam orare & perorare dicimus. Ex qua significatione alia enata est Oratoris significatio; vt Orator is dicatur, qui caussas dicit, qui in dicendo versatur: quod nomen varie a M. Tullio vsurpatū fuisse inuenio. Nam interdum eos Tullius Oratores appellat, qui vmbratilem quandam eloquentiam colentes, vel historiam, vel res philosophicas ornate copioseq; scribunt, sed nullas in foro, vel concione, & senatu caussas agunt. In Bruto. *Vsus est hac significatione cum de Isocrate dixit, Magnus Orator, & perfectus magister, quamquam forensi luce caruerit, intraq; parietes aluerit eam gloriam, quam nemo, meo iudicio, est postea consecutus.* Lib. 2. de Orat. *Et Antonius apud Ciceronem, qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Interdum vero, & quidem magis proprie, is dicitur orator, qui caussas in foro tractat: vt fuerunt Demosthenes, Cicero, & multi, quorū in Bruto princeps inter Romanos meminit Orator.* In Bruto. *Hac significatione vsus est idem Tullius, cum de Thucydide loquens, eum, vt bonum historiæ scriptorem laudatum fuisse, fatetur:* In Bruto. *sed nunquam est numeratus orator: & cum*

eos,

eos, qui orationes scribunt, & alijs agendas tradunt, ab oratorum choro exclusit. Orator itaque aliquando, legatum, interdum eum, qui priuatam eloquentiam colit, alias eum, qui caussas agit, designat. Prima significatio est a nostro instituto aliena: secunda vero, etsi non sit ita propria, tamen interdum a nobis vsurpabitur: tertia ad institutum nostrum est maxime accommodata. Plutarchus autem existimauit Oratorem dictum esse ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. *i. a concitatione, animorum nimirum, & orationis, quod animos commouere, & oratione in hominum mentes influere soleat. Fuit hoc oratoris nomen olim praeclarum, illustre, ac summi honoris, & in omni bene instituta rep. semper floruit. Contra vero, hoc nomen, caussidicus, quiddam obscurum, illiberale, ac sordidum semper significauit. Atq; haec de hoc nomine satis.*

In problem.

Cic. li. 3. de Orat.

Tertium fundamentum, in quo breuiter non nullas alias perstringam huius artis appellationes. Solet igitur passim a M. Tullio, & a bonis dicendi magistris appellari scientia, & ars bene dicendi; artificium, prudentia, facultas, virtus, ratio, doctrina, & copia dicendi, & eloquendi: & denique, eloquentia, vis atque facultas oratoria. Is vero, quia hanc artem profitetur, Rhetor, orator, eloquens, &

disertus:

disertus: quamuis inter virum disertum & eloquentem M. Antonius apud Ciceronem non nihil discriminis posuerit: interdum clamator, seu declamator: sed clamator, is proprie dicitur, qui intra domesticos parietes fictas caussas exercendæ eloquentiæ caussa, agit. Quod autem Orator & Clamator non idem significent, his verbis indicauit Tullius: Ego tamen ita de vnoquoque dicam, vt intelligi possit, quem existimem Clamatorem, quem Oratorem fuisse. Solet etiam, qui in forum venit vocari Patronus; quo nomine quiuis appellatur, cui caussa defendenda mandatur: qua appellatione continentur etiam ij, qui non sunt eloquentia ornati: qui, etiam caussidici, nominantur. Quod autem Orator & Patronus eandem omnino significationem non habeant, his Ciceronis verbis discimus, cum Bruto ait, vt te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem turba patronorum. Denique a Græcis huius artis professor Sophista, & Ecclesiastes, latine concionator, dicitur: sed concionator is proprie nominatur, qui in concione, apud populum dicit. Verum de hoc nomine, Sophista, aliquanto latius dicendum est, cum apud Scriptores non raro vsurpari soleat.

Li. x. de Orat.

In Bruto.

Donatus ĩ Hecyram.

In Bruto.

Sophista in philosophorum scholis is dicitur. qui non veris, sed fucatis philosophatur rationibus:

*nibus: qui non veritatem, sed veritatis vm-
bram sequitur: qui non est vere sapiens, sed sa-
pientiæ nomen affectat; qui nihil de recta, sui,
vel aliorum institutione cogitat: præstigiator
ambitiosus, & fallax Philosophi & rerum ve-* Cic.li.2.
rarum imitator, qui Philosophia abutitur: qui Acade.
denique ostentationis, aut quæstus caussa phi- quæst.
*losophatur. At vero in Rhetorum classibus,
sophista, is apud Græcos nominabatur, qui di-
cendi artem, mercede, docebat; vel, vt Victo-* Mar.
rino placet, is apud quem dicendi ars exerce- Victor.
batur, declamandi vsu: ita vt σοφιςεύειν, sit Suidas
*dicendi præcepta tradere, vel in eis sese exer-
cere. In quorum numero fuit Protagoras il-
le, de quo meminit Gellius. Is, Euthalo disci-* Au. Gel.
*pulo, qui de magna mercede persoluenda pa-
ctus fuerat, si in arte profecisset, cum solutio-
nem in longum protraheret, diem dixit: Et
cum ad litem contestandam in iudicium venis-
sent, tunc ait magister discipulo, Non poteris
effugere, quin mercedem persoluas: Nam, si
sententia erit a me, vicero: sin a te, tu vinces,
& te profecisse ostendes, ac proinde soluere
debebis. Tunc discipulus magistro, si senten-
tia erit a me, non soluam: sin contra, nihil ti-* Plato in
bi ex pacto debebo, quia non profecero. Quam Georg.
litem iudices tanquam inexplicabilem, inindi- Lib. de definit.
catam reliquerunt. Et hoc fortasse Sophista- Plat.

rum

rum genus descripsit Speusippus cum dixit: Sophista, est iuuenum nobilium, atque diuitum mercenarius venator. At vero M. Tullius In Oratore. *paullo aliter qui fuerint Sophistæ exposuit: qui nimirum in genere laudationis versabantur, & a forensi contentione abstinebant, & animos magis placare, quam perturbare, potiusq; delectare, quam persuadere volebant: qui orationem floridam & cultam, sine sententiarum momentis sectabantur, & poliendi, atque conformandi sermonis præcepta tradebant: quos vehementer in Gorgia insectatur Socrates, & in Phædone* λογοδαιδάλους *.i. verborum inanes* Streb. in 3. de Or. *nundinatores vocat. Denique, ij dicebantur Sophistæ, qui cum rhetoricas artes magno hominum conuentu, & mercede profiterentur, & illas suis inuentis augerent, se simul etiam philosophiam tradere, dicebant, quod Philosophi ferre nullo modo poterant, ac proinde illis vehementer aduersabantur. His ita positis fundamentis, ad propositam disputationem his positionibus satisfacio.*

Prima positio: Is, qui cum ratione de re aliqua est acturus, a nominis definitione auspicari debet. Libro 1. post c. 1. *Patet hæc positio ex auctoritate eorum, quos initio disputationis citaui: Et Aristoteles nominis præcognitionem viam esse ad doctrinam comparandam, affirmauit. Itaque*

cum

cum nomina loco rerum in disputationem ve-niant, si eorum significationes, ignorentur, res ipsæ nulla ratione percipi poterunt. Arist. libro 1. Elẽ. c. 1.

Secunda positio: si proprie loqui velimus, rhetorica, non idem est, aut significat, quod eloquentia, & facultas, siue vis oratoria; nec idem rhetor, ac eloquens, seu orator: licet hæ voces sæpe confundantur. Nam, rhetorica, priuatim artem ipsam, quæ præcepta tradit designat: eloquentia vero, facultatem & copiam dicendi; quæ non est in ijs, qui solum artis præcepta norunt. Similiter rhetor, dicendi magistrum; orator vero, & eloquens, eum, qui copiose & ornate in foro caussas agit. Hanc positionem hæ M. Tullij, vt cæteros nunc scriptores mittamus, confirmant sententiæ. Nunc his rhetorum præceptionibus ad vsum oratorium contentos nos esse oportebit: alius est ergo quis præcepta docet, rhetor: alius qui illis vtitur, orator. Alio loco cum caussam redderet, cur pauci sint eloquentes, ait: Quod alia intelligendi, alia dicendi sit disciplina: & ab alijs rerũ, ab alijs vero verborum doctrina quæritur: quã a dicendi magistris tradi dixerat: quod magistrorum genus alio loco, hebes, & impolitum, alibi, rabulas appellat; alibi rerum cognitione orbatos esse ait: & de his loquitur, qui rhetores nominantur: at vero de Oratore contraria

Libro 1. de Inuẽ.

Libro 2. de Ora.

Lib. 2. de Ora.

In orat.

Lib. 3. de Ora.

ria omnia affirmat. Et Antonius, cum Oratorem ab rhetore distingueret, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos esse dixit.

Tertia positio: si proprie loqui velimus, & cum Cicerone sentire, qui orationes non habẽt, & in foro non versantur, licet eloquenter & ornate scribant, oratores appellari non debent. Hoc, præter loca superius citata, aperte Tullius docuit, cum de T. Brutio Barro Asculano dixit; Qui scriptitauit orationes multas, Orator ipse nunquam fuit: & cum de Aelio Stoico scripsit: Orator autem nec studuit vnquam, nec fuit: scribebat tamẽ orationes, quas alij dicerent: & hanc ob caussam aliquando Isocratem rhetorum principem, & virum eloquentissimum ab oratorum numero exclusit.

In Bruto.

In Bruto.

De opt. gen. ora.

Quarta positio: Eloquens & disertus non sunt idem. Sententia est M. Antonij apud Ciceronem. Disertus is censetur, qui possit satis acute, atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere: eloquens vero qui mirabilius & magnificentius agere possit, & ornare quæ velit: omnesq; omnium rerum, quæ ad dicendum pertinent fontes, animo ac memoria continet. Item, is censetur eloquens, qui in foro caussisq; ciuilibus ita dicit, vt probet, vt delectet, vt flectat: & qui humilia subtiliter, & magna grauiter

Lib. 1. de Ora.

uiter & mediocria temperate potest dicere: & qui ad id quodcunque docebit, poterit accommodare orationem.

Quinta positio: Hæc facultas congruenter a Græcis, rhetorica, & a Latinis, eloquentia, siue vis oratoria nominatur. Siquidem hoc nomen sumptum est a præcipua, aut saltem magis propria huius artis parte, atque officio, quod est dicere, & eloqui: quo fit, vt hoc nomen sit ei maxime accommodatum. Adde hanc luculentam M. Tullij in Oratore sententiam. Sed iam illius perfecti oratoris, & summæ eloquentiæ species exprimenda est; quem hoc vno excellere, id est oratione, cętera in eo latere, indicat nomen ipsum. Non enim inuentor, aut compositor, aut actor hæc complexus est omnia; sed & græce ab eloquendo, ῥήτωρ, & latine, eloquens dictus est. Cęterarum enim rerum, quæ sunt in oratore partem aliquam sibi quisque vendicat: dicendi autem, idest, eloquendi maxima vis, soli huic conceditur. Atq; his positionibus huic primæ disputationi satis sit factum: ex quibus quæ allatæ fuerunt argumentationes facile soluuntur.

Quod ergo ad primam attinet, licet nunc illud verbum apud Græcos solum, fluere, significet: tamen olim dicere, significabat. Adde etiam, quod non inepte a verbo fluo per metaphoram,

phoram, hæc ars nomen acciperet, cum ornatę orationi sit maxime proprium, vt fluat. Et ideo significanter dicimus, eloquentiæ flumen, fertur quasi torrens oratio: rapidam orationem coercere.

Lib. 2. de Fin.

De secunda, quidquid sit de hac disputatione, quæ nam sit præcipua eloquentiæ pars, de qua suo loco dicetur, illud apud omnes certissimum est, elocutionem esse magis propriam Oratori, quam sit vlla alia pars; ac proinde ab hac parte conuenienter nomen sumit. Quod autem aliqui suos libros de Inuentione inscripserint, solum probat, hanc partem esse vnam ex præcipuis, & primam, ac maxime difficilem, de qua plura docuerunt; & ideo suos libros ab ea inscripserunt. Et quamuis actio multum in dicendo valeat: tamen non est ita propria eloquentiæ pars, vt est elocutio.

Lib. 2. disput. 9.

Neq; tertia ratio quidquam concludit, cum ea quæ sunt præstantiora pluribus nominibus, ad eorum præstantiam demonstrandam, nominari soleant.

Quod autem in postremo ratione assumebatur, falsum est; quoniam huius artis nomina nulli alij congrue accommodari possunt. Atque hæc de prima disputatione satis.

De defi-

De definitionibus Rhetoricæ, Disputatio II.

QVONIAM *vero in hoc primo nostrarum disputationum libro, id nobis est propositum, vt artis dicendi vim, eloquentiæq; naturam perspicue, ac ordinate explicemus; sequitur nunc, vt, eius nominibus expositis, ad caussas explanandas transitum faciamus. Nam, vt non vno in loco scripsit Aristoteles, tunc aliquam rem perfecte cognoscimus, cum eius caussas, cognitas penitusq; perspectas habemus. Et quoniam, vt idem auctor vere sapienterq; docuit, ea definitio est idonea, per quam rerum naturæ obscuræ, atque inuolutæ clare manifestantur, ac explicantur, & ea censetur bona, quæ rei caussas continet: ideo hæc secunda a nobis proposita est disputatio, in qua quid sit rhetorica explicetur: Vt eius definitione & natura cognita, postea de singulis caussis disserere possimus.*

Libro 1. Physic. cap. 1. Libro 1. post. c. 2.

Li. 1. de Anima.

In hac autem disputatione hanc methodum seruabimus: primum docebo quid, & quotuplex sit caussa; idq; breuiter, & facile, pro tironum intelligentia, atq; instituto nostro: dein de explicabo quid, & quotuplex sit definitio,

 & quæ

& quæ ad bonam definitionem conficiendam sint necessaria: Postea illustriores aliquot huius artis definitiones in medium afferam, easque disputandi gratia, vna vel altera ratione refellam: Postremo non nullas positiones adijciam.

Quod autem ad primam huius disputationis partem attinet, licet plura, & magis enucleata ex Philosophis repetere possem; tamen, cũ in rhetoricis verser, omnia fere, quæ de caussis & de definitione dicam, ex ipso Cicerone repetere conabor.

Lib. de Fato. *Primum igitur ex ijs, quæ proposita sunt, aggrediendo; caussa & M. Tullio, est, quæ vi sua efficit id, cuius est caussa: quo pacto, candor, est caussa cur id, in quo reperitur, sit candidum: & sanitas est caussa sumendi potionem amaram, & ignis combustionis. Sunt autem genera caussarum quattuor; nimirum, materia forma, finis, & efficiens. Materia est ex qua res fit; vt ex ligno scamnum, & in quam resoluitur: vt dictio, in syllabas; & in qua est forma, seu quam ars tractat, seu in qua versatur: vt medicinæ, humanum corpus. Forma est, per quam res est, id quod est, a qua res nominatur, & ab alijs intrinsece distinguitur: quo modo anima rationis particeps est hominis forma; & calor forma corporis, quod colore afficitur: & rhetorica est forma a qua quis nominatur*

Cice. lib. de natu. Deorũ.

natur

natur rhetor. Finis, quod Græci τέλος, dicunt, latine, extremum, summum, & ultimum vertit Cicero, est id, quo referuntur omnia, vel id cuius gratia aliquid fit: quo modo beata vita est hominis finis, cuius cupiditate omnes incensi sumus: & persuadere finis est rhetoricæ, quo omnia bonus refert orator. Efficiens, seu conficiens caussa, est ea, a qua aliquid est: vel, est ratio efficiendi: cuius effectum, euentum vocat Tullius: quo modo sol est caussa lucis: & virtus beatæ vitæ, & exercitatio, ac imitatio caussa eloquentiæ. Conficientis caussæ varij sunt modi, quos Cicero in Topicis recenset: quorum explicatio nihil ad institutum nostrum facit. Ex his quattuor caussis duæ priores sunt internæ, cum non solum ad rem conficiendam conferant, sed etiam in re maneant effecta: Quo modo anima & corpus sunt hominis caussæ, illa vt forma; hæc, vt materia: ex quibus duabus simul iunctis, proxime conficitur homo. Aliæ vero duæ, finis & efficiens sunt extra rem effectam, & ideo externæ nominantur. Et has quidem omnes rhetoricæ caussas hoc libro explicaturi sumus. Quarum vna, vel altera in eius definitione poni solet, & præsertim forma, tanquam præcipua, de qua a nobis priore loco disputabitur. Atque hęc de primo.

Libro 3. de Fin.

Arist. li. 1. Rhet. cap. 1. In part.

De secundo, definitio, ex M. Tullio, est oratio,

In Top.

tio, quę id, quod definitur, explicat quid sit: Lib. 1. de Ora. *Vel, est eius rei, quam definire volumus breuis, & circumscripta quædam explicatio: vel* Lib 2. de Fin. *est rerum opertarum patefactio: vel quę quasi inuolutum euoluit id, de quo quæritur. Itaque illa oratio, qua clare alicuius rei natura manifestatur, definitio dicitur.*

Est autem definitio duplex, altera nominis, quam Gręci, etymologiam, latine, si verbum In Top. *verbo reddere velis, veriloquium, vt Cicero interpretatur: sed verbi nouitatem fugiens, notationem appellauit: qua explicatur alicuius nominis origo, & significatio: vt nos prima disputatione fecimus. Altera rei, qua explicatur, quid sit res ipsa per nomen significata, de qua hoc loco agimus. Hæc confici solet ex genere & differentia, seu proprietate quadam* Libro 1. de Ora. *rei, quæ definitur. Genus est, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas, aut plures complectitur partes: quas dia-* In Top. *lectici, species, vocant; Cicero vero, formas, & partes. Vt, animal, quod sub se continet* Lib. 1. de Inuē. *brutum, & hominem. Vel, genus est notio ad plures differentias pertinens. Partes vero sunt, quæ generibus ijs, ex quibus emanant, subijciuntur, vel in quas genus diuiditur. Differentia autem est qua genus diuiditur in partes, siue species: vt rationis capax, & ratio-*

nis ex-

nis expers, per quas differentias diuiditur animal, in hominem & brutum. Quare, si quis definiens hominem diceret, esse animal rationis capax, hac oratione naturam hominis alias obscuram, clare per eius genus & differentiam patefaceret.

Leges bonæ definitionis, vt ex eodem Tullio varijs in locis colligere licet, sunt potissimũ tres: prima, vt clare rem definiendam exponat, & patefaciat: altera, vt soli rei definitæ conueniat, atque cum ea reciprocetur, ita vt in aliam rem transferri non queat: tertia, vt in ea nihil desideretur, aut abundet. Lib. 2. Acade. quæst. In Top.

Qua autem ratione conficiatur definitio his verbis idem auctor eleganter docuit. Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus quid proprium sit eluceat. Quibus verbis, haud obscure, duplicem insinuauit definiẽdi rationem: alterã, qua aliquid manifestatur per genus & differẽtiam, quæ speciatim definitio dr̃: alteram qua quippiam per genus & communes proprietates exponitur, quæ descriptio appellari solet: qua definiendi ratione oratores potissimum vtũtur. De eadem definiendi formula alio loco, ita scribit: Sic igitur veteres pręcipiunt, cum sumpseris ea, quæ sunt ei rei, quam definire velis cum In Part. In Top.

alijs communia, vsque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam aliam in rem transferri possit. Atque hęc de definitione breuiter adnotare voluimus, cum hęc post hac sępe vsui nobis futura sint, plura alio loco eadem de re dicturi.

Nunc varias rhetoricę definitiones in medium afferamus, quarum bonam partem ex Libro 2. cap. 15. *Quinctiliano collegimus. Ariston Critolai Peripatetici discipulus hoc pacto rhetoricam descripsit: Est scientia videndi, & agendi in quęstionibus ciuilibus per orationem popularis persuasionis. Quę descriptio his rationibus impugnari potest: Primum, falsum est rhetoricam esse* Libro 1. Rhetor. cap. 4. *scientiam, cum Peripateticorum princeps dicat, rhetoricam eos destruere, qui eam tanquam scientiam tractant: & ita is auctor a suo magistro sine ratione recedit, cum hęc facultas, vt postea demonstrabitur, sit a scientiarũ numero excludenda. Deinde, in eo peccat, quod facultatem latissime patentem ad quęstiones ciuiles contrahit: cum tamen idem Aristoteles* Libro 1. Rhetor. cap. 2. *dicat in omni re versari. Denique, Rhetor non solum apud populum, sed etiam apud doctos viros dicit: male igitur iste auctor apposuit hęc verba, popularis persuasionis.*

Theodorus Gadareus Sophistes seruili genere ortus, Tiberij Cęsaris magister, sub Adriano Cęsa-

no Cęsare creatus Senator, hoc modo finiuit. Ars inuentrix, & iudicatrix, & enunciatrix decēte ornatu secundum mensionem eius, quod in quoque potest sumi persuasibile in materia ciuili. Errat hic auctor, primum, quia definiens rhetoricam per eius partes, seu officia, prętermittit dispositionem, & sine iudicio: ponit iudicium, quod non est quędam pars ab alijs seiuncta, vt alio dicetur loco. Deinde contrahit eius materiam late patentem ad quęstiones ciuiles, & ita excludit genus demonstratiuum, aut saltem quęstiones cognitionis. Postremo, vt alias omittam rationes, quibus hęc finitio impugnari potest, in eo peccat, quod non videtur satis manifesta: quod vitium cum recta definiendi ratione vehementer pugnat. Libro 2. disp.8.

Theodorus alius, dixit, esse vim inueniendi & eloquendi cum ornatu credibilia, in omni oratione: Sed cur potius appellauit vim, quam artem, cum ars videatur proximum rhetoricę genus in eius definitione ponendum? Et cur non potius persuasibilia, quam credibilia, cum orator magis in persuasibilibus, quam in credibilibus versetur? Postremo, non placet Fabio hęc definitio, quia cum dicat in omni oratione, videtur etiam scelera huic arti tractanda subijcere.

Albutius Silo Nouariensis insignis rhe-

tor, qui Augusti temporibus floruit, hac vsus est definitione. Rhetorica est scientia bene dicendi credibiliter circa ciuiles quęstiones. Sed is, vt & alij multi, inscienter, scientiam vocat: Et parum ciuiliter eam tractat, dum intra ciuiles cancellos eam includit: atque melius dixisset, si loco credibiliter, persuasibiliter, posuisset.

Quidam alij hoc modo: vis dicendi & eloquendi de rebus ciuilibus subiectis sibi, cũ quadam persuasione, & quodam corporis habitu, & eorum quę dicet pronuntiatione. Peccat, hęc definitio in assignanda materia, & genere, vt ex dictis constat. Habet etiam non nullas particulas superfluas, & parum idoneas ad huius artis vim explicandam: ac proinde vna cũ alijs reijcienda esse videtur.

Dionysius Halicarnassęus insignis huius artis sub Cęsare Augusto professor, hunc in modum. Vis artificiosa persuadendi rationabiliter in negocio ciuili & politico; cuius finis est bene dicere. Sed hic auctor non bene dicit, cũ,
Infra disput.8. *huius artis officium, pro fine ponit: nam bene dicere, vt suo loco dicetur, non finis, sed officium est rhetoricę. Peccat etiam cum alijs in assignanda materia. Quo fit, vt etiam Hermogenes errauerit, qui hanc definitionem tanquam bonam aliquando approbauit: vt est vi-*

dere

dere in compendio rhetorices, quod Hilario latinum fecit.

Multi fuerunt, qui hanc definitionem tanquam bonam approbarunt: Rhetorica est scientia bene dicendi. Ita Chrysippus, Cleanthes, Consultus Chirius, Quinctilianus, & non nulli alij: a quibus non multum dissentire videntur, qui dixerunt, esse artem, vel doctrinam bene dicendi. Quam finitionem quidam non admittunt, ea de caussa, quod conueniat etiam alijs artibus, cum & Philosophus, & medicus, alijq; artifices possint de rebus sibi subiectis bene dicere: & ideo huius artis materiam in definitione exprimendam esse putant. Libro 2. cap. 15. Sulpiti^9 Victor.

Sunt qui hanc definitionem probent: Rhetorica est recte inueniendi, disponendi, & eloquendi, cum firma memoria, & cum dignitate actionis scientia. Sed non est scientia, vt non semel diximus. Et longe melius definiretur per caussas, quam per partes: cum presertim de quibusdam partibus dubitari soleat, an sint huic arti proprie.

Nec etiam ea, quam tradidit Trapezuntius satis idonea esse videtur; cum ait. Rhetorica est ciuilis scientia, qua cum assensione auditorum, quoad eius fieri potest, in ciuilibus questionibus dicimus. Non est scientia; & si esset scientia, non esset scientia ciuilis, cum non Lib. 1.

tractet

tractet res ciuiles; addit etiam hic auctor quasdam in hac sua definitione particulas, quæ ad huius artis naturam explicandam non multum conferunt.

Lib. 1. cap. 2. *Aristoteles optimus definiendi præceptor, hac definitione rhetoricæ naturam expressit. Rhetorica est vis videndi, non inueniendi, vt quidam vertunt, quid in quaque re possit esse persuasibile: vel vis, qua quod in vnaquaque re probabile est, perspicitur. A qua definitione nihil discrepat ea, qua vsus est Patrocles, cum dixit, esse vim inueniendi, quod sit in oratione persuasibile. Aristotelis definitio, nec Quinctiliano, nec Hermogeni placet, ac proinde quibusdam rationibus eam conuellere conantur.* Infra disput. 10. *Sed quoniam integra disputatione de hac definitione postea acturi sumus, quę contra eam afferuntur, & quæ in eius defensionem, & expositionem dicere possem, in suum locum reijcio.*

Postremo, vt alias minus bonas & illustres definitiones silentio inuoluam, hac oratione quidam nouus auctor, eloquentiam descripsit: Franc. Robert. lib. de artificio dicen. *Eloquentia est facultas naturalis in animo exprimendi ea, quæ mente concepimus; ab arte & exercitatione adiuta, pro ratione rerum subiectarum, & forma quędam ipsius sermonis, vel continuati, vel interpollati, partim*

accom-

accommodata ad popularem loquendi vsum, partim ab eo remota, vtilis ad docendum & persuadendum. Huic eloquentię, ait contrariam esse, infantiam, quam contrarijs verbis describit. Multa contra hanc descriptionem afferre possem, sed multis omissis breuiter dixerim, eam laborare vitio longitudinis, & obscuritatis. Atque hęc de rhetoricę definitionibus; circa quas non nulla breuiter animaduertenda sunt.

Primum, ideo voluimus plures definitiones in vnum locum congerere, vt eloquentię candidatus ex tanta definitionum varietate conijcere facile possit, quam sit difficile eius artis, quam profiteri cupit, naturam ac vim exponere, atque etiam aliquam rudem eius habere notitiam, quam profecto ex his varijs definitionibus colligere licet: quas definitiones nos sequentibus disputationibus, ac libris planius, ac plenius exponemus, diligentiusq; examinabimus. Deinde, & si omnes allatę descriptiones aliquo pacto labefactari, atque conuelli queant; tamen aliquę, si sano modo intelligantur, vel sunt omnino bonę, vel aliquo modo pacto defendi possunt, aut saltē aliquid continent, quod ad rem subiectam explicandam confert. Postremo, ex his definitionibus, alię dantur per caussas rhetoricę, veluti per materiam, et finē;

alię

aliæ per partes, vel plures, vel pauciores; aliæ per officium: aliæ per genus & differentiam; vt demonstrare liceret, si quis vellet eas accuratius exponere, in quo sine vtilitate tempus conterere nolo. Ex quibus definitionibus facile totidem colligeres rhetoris descriptiones: vt si diceres, Rhetor est artifex bene dicendi, &c.

Placet tamen hoc loco non nullas oratoris, qui vt diximus a magistro dicendi multum di-
Quinct. lib. 12. cap. 1. *stat, descriptiones adscribere. M. Cato Cēsorius, qui primus apud Romanos de arte dicendi aliquid literis cōmendauit, hoc pacto oratorem finiuit. Orator est vir bonus dicendi peritus. Quā definitionem libentissime Quinctilianus amplectitur, ac mordicus defendit: quem multi posteriores dicendi magistri perlibenter sequūtur, eandem definitionem tanquā optimā approbantes: cui aliqui subijcientes eius officium, dicunt, Cuius officium est inuenire, collocare, eloqui, meminisse, & postea pronunciare. Debet ergo orator esse, εὑρετικὸς, τακτικὸς, ἐξαγγελτικὸς, μνημονευτικὸς, & ὑποκριτικὸς. Quam descriptionē nos alio libro, tanquam minus bonam integra disputatione reijciendam esse demonstrabimus.*

At vero summus inter Romanos orator, suum perfectum oratorem varijs in locis ora-
Libro 1. de orat. *torie pinxit, vt cum scripsit: Orator est is, qui quæcunque res inciderit, quæ sit dictione explicanda*

plicanda prudenter & copiose, & ornate, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Item, oratorem plenum atque perfectum eum esse dicam, qui de omnibus rebus possit varie, copioseq; dicere: vel, qui humilia subtiliter, magna grauiter, & mediocria temperate dicat. Item: At eum puto esse, qui & verbis ad audiendum iucundis, et sententijs ad probandum accommodatis vti possit, in caussis forensibus, atque communibus: hunc appello oratorem: eumq; esse præterea instructum voce, actione, & lepore quodam volo. Neque enim perfectus ac summus orator, declamatorē aliquem de ludo, aut rabulam, aut caussidicum de foro, sed doctissimum et perfectissimum quęrebat. Et denique alias longiores, & elegantissimas apud eundem legendo obseruabis perfecti oratoris descriptiones.

In orat. In 3. de Orat. In Bruto.

Prima positio: cum de re aliqua instituta est disputatio, a rei subiectæ definitione conuenienter exordium capitur. Hanc positionem missis Philosophorum auctoritatibus, & rationibus, vna vel altera Ciceronis sententia confirmo. Placet igitur aliquando dixit, quō omnis disputatio de officio futura est, ante definire quid sit officium, quod a Panetio prętermissum esse miror. Omnis enim quę a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci; vt in-

Libro I. de offic.

vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputatur. Et
Lib. 1. de Ora. *alio loco: Nam ſi de me quæreretur, quę eſſet ars imperatoria: conſtituendum eſſet principio, quis eſſet Imperator; & quæ ſequuntur.*

Secunda poſitio: ſi rhetorica ſumatur pro arte dicendi, definiri poteſt. Quoniam eſt certus quidam cognitionis habitus, in quo cum alijs eiuſdem generis habitibus conuenit: habet etiam aliquam proprietatem, ſeu differentiam per quam ab alijs differt: igitur ſi quis, & id in quo proxime cum alijs conuenit, & eius proprietatem inueniat, quandam, vt ex Cicerone adnotauimus, cōficiet orationem, quæ huius artis naturam explicabit, ac proinde definitio quædam erit.

Tertia poſitio: ſi rhetorica ſumatur pro eloquentia, definiri, aut ſaltem deſcribi poteſt. Nam cum certas habeat cauſſas, certasq; partes, atque officium, de quibus nos integris libris diſputaturi ſumus, poterit, qui hæc nouerit, eam aliqua oratione circumſcribere: ſicuti etiam Philoſophi philoſophiam deſcribunt, licet, non ſit, vnus quidam ſimplex habitus. Et nos poſtrema huius libri diſputatione, noua quadam ratione eam finire conabimur.

Quarta poſitio: ex allatis definitionibus hęc eſt congrua rhetoricæ definitio; Ars bene dicendi: Quæ definitio datur per genus & differentiam.

rentiam. Nam particula, Ars, ponitur loco generis; particula, bene dicendi, loco differentiæ. Quod si per artem intelligas eam, quæ bene dicendi præcepta docet, aptabitur hæc definitio rhetoricæ, vt ars est, & vt ab actione & ab eloquentia separatur: quod si per artem bene dicendi intelligamus vim, atq; facultatem, qua, optimis sententijs, lectissimisq; verbis dicitur, quadrabit eloquentiæ, & facultati oratoriæ, quæ ex omnium rerum cognitione, per quam sententiose, & ex arte conformandæ orationis, qua ornate dicimus, conficitur: vt eloquentia vere sit quædam ornate & copiose loquens sapientia.

Quincta positio: Qui de arte dicendi congruenti ratione disputaturus est, debet primum huius artis naturam diligenter exponere, agendo de principijs, caussis, partibus, eiusq; officio: quod nos prioribus nostri operis libris, fauente Deo, faciemus. Deinde ei agendum est de his, quæ sunt huic arti subiecta, singulas partes explicando, ac præcepta tradendo. Hanc disputandi rationem optimus methodi magister docuit Aristoteles, eamq; in omnibus suis operibus scribendis seruauit: eandem viam sequutus est Quinctilianus, & omnes fere alij dicendi artifices. Cice. in partit. Libro 1. Met.

Nunc, priorem rhetoricæ tractationis partem

tem aggredientes de eius forma, tanquam de præcipua rhetoricæ caussa agemus: quærentes, quod nam sit eius genus, cum, vt Auer-
Auer. in Met. *roes verissime dixit, genera, seu attributa superiora, sint accidentium, atque habituum formæ, cum præsertim hac de re maxima sit apud scriptores dissensio.*

An Rhetorica sit virtus, Disputatio III.

In Top. *IS, qui rem aliquam congruenti methodo definiendo explicaturus est, debet, ex M. Tullij sententia, id prius inuestigare, quod sit rei finiendæ cum ceteris rebus commune, ipsius nimirum genus. Et quoniam varij Scriptores, varijs in generibus rhetoricæ naturam reponendam esse censuerunt, ideo varijs disputationibus, quid hac de re sentiendum sit, nobis peruestigandũ*
Fab. li. 2. cap. 15. Critola⁹ Athenę⁹ *erit. Nã alij putarunt esse virtutem, alij sapientiam, alij scientiam, alij prudentiam, alij artem, alij vim, seu facultatem, alij peritiam; alij dicendi vsum, alij denique prauitatẽ quandam, seu fallendi artem. In hac ergo disputatione examinandum proponimus, an in numero vir-*

ro virtutum collocanda sit. Nomine, autem virtutis intelligo eam facultatem, qua homo honeste viuit, & bonus ac honestus nominatur, vt in fundamentis clarius explicabo. Et quod in virtutibus ponenda sit, his rationibus persuaderi potest.

1. *Primo, Stoici, quorum doctrina semper plurimi facta fuit, in virtutibus rhetoricam esse dixerunt, vt ex Quinctiliano discitur, quos ipse perlibenter secutus est: horum ergo grauissimorum Philosophorum sententia, virtus censenda erit. Huc facit quod Menesarchus, referente Antonio, aiebat, eundem esse eloquentem & virtute praeditum: Immo ipsemet Antonius ex sua sententia, id apertissime affirmauit, cum dixit: Est enim eloquentia vna quaedam de summis virtutibus. Et hanc disputationem concludens, ait: Atque hanc ijs (Stoicos intelligit) habeo gratiam, quod scilicet ex omnibus eloquentiam virtutem, ac sapientiam esse dixerunt. Adde etiam quod M. Tullius multis in locis eloquentiam virtutem nominauit.*

Lib. 2. cap. 20.

Lib. 1. de orat.

2. *Deinde, id appellatur virtus in ijs rebus, quę anima vtuntur, quo vnumquodque animal. cęteris animantibus praestat; veluti in equo velocitas, in cane sagacitas, & in Leone ferocia: Quare cum eloquentia sit id, quo homi-*

Aristo. lib. 1. Polit.

Cic. li. 1. de Inuę.

num genus, bestias maxime antecellit, erit hominis virtus.

Lib.2. cap. 20. M.Tul. lib.1. de Orat. *Postea, virtus, ait Fabius, ea est, cuius, antequam doceremur, initia & semina quædā habemus a natura, vt iustitiæ, fortitudinis; quod de artibus, quæ sunt a natura virtutis remotę, affirmare non licet: cum ergo nos initia quædam eloquentiæ, & quidem maxima, habeamus a natura, quod rhetorum negaret nemo, immo omnes affirmant, dum, naturam, inter caussas effectrices eloquentiæ numerant: erit igitur rhetorica virtus.*

Ad hæc, virtus nihil aliud est, quam sibi consonare, vt cum Fabio loquar, quod proprium prudentiæ esse videtur: at id per rhetoricam efficitur, in dicendis, & non dicendis: igitur sicuti prudentia, qua quis sibi in faciendis & non faciendis consonat, est virtus, ita eloquentia virtus erit.

Quinct. lib.12. cap.1. *Item, grauissimi viri definientes Oratorem, & virum eloquentem, dixerunt, esse virum bonum dicendi peritum: bonus autem nemo est, nisi sit virtute præditus: Quare, si eloquens is dicitur, qui virtute est insignitus, eloquentia profecto virtus erit: & sicuti aliquis ab iustitia dicitur iustus, ita ab eloquentia dicetur studiosus.*

Donat. *Insuper, ars, vt quidam scribunt, dicta est,*

ἀπὸ

ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, *ideſt a virtute: ſed rhetorica eſt ars, virtus igitur. Confirmatur hæc argumentatio, quia rhetorica eſt ars bene dicendi: at quidquid bene fit, cum virtute fit: erit igitur virtus, cum doceat bene dicere.*

Poſtremo, vt plura argumenta, quæ fieri poſſent, ſtudioſis adoleſcentibus excogitanda relinquam, hunc in modum neruoſiſſime vrgeo: cuiuſcunque artis natura præcipue ex fine perpenditur: ac proinde omnes ſapientes in omni arte finem ſpectandum eſſe præcipiunt: at omnia cauſſarum genera in quibus rhetorica verſatur, pro fine habent honeſtatem, quę eſt ipſa virtus; erit igitur rhetorica virtus. Quod ſumptum fuit, facile probatur: quoniam genus iudicij habet pro fine iuſtitiam, genus exornationis honeſtatem; deliberationis vero, vel eandem honeſtatem, vel certe vtilitatem cum honeſtate coniunctam. Si ergo verum eſt, quod ſumitur, verum & id, quod ex eo conficitur. Atque hactenus de argumentis: nunc quid Scriptores de hac dubitatione ſenſerint, aperiamus. Galen. Cic.

Prima ſententia fuit eorum, qui rhetoricam inter habitus malos reponere videntur; vt fuerunt ij, qui eam appellarunt κακοτεχνίαν, *i. malam artem, ſeu* ματαιοτεχνίαν, *i. ſuperfluam artis imitationẽ; de quibus meminit Fa-* Lib. 2. cap. 20.

 bius

bius cōtra quos nos latius differemus, cū de huius artis vtilitate, instituta fuerit disputatio.

Secunda sententia eorum, qui eam in genere virtutis ponendam putant; quod, vt ex disputatione Antonij, & ex Fabio aperte cognoscitur, senserunt Stoici: quos libenter sequitur, & mordicus defendit Fabius, cui non grauate, quidam alij subscribunt.

Lib. 3. de orat. Lib. 2. cap. 20.

Tertia sententia intermedia, quæ neque in virtutibus, neque in vitijs ponit, sed ad eos habitus reuocat, quos Græci ἀδιάφορους, idest indifferentes appellant, cuiusmodi sunt omnes cognitionis habitus. Ita sensit Aristoteles, ita M. Tullius, & est communis apud dicendi magistros sententia: quam nos, tanquam verissimam tenendam esse, docebimus; quod vt facilius præstemus, non nulla fundamenta nobis ponenda sunt.

Pet. Rā.

Primum fundamentum: ex M. Tullio omnis virtutis vis in duas distribuitur partes: aut enim virtus scientia cernitur, vt est prudentia, & quæ grauissimo nomine, sapientia appellatur: aut actione, vt est temperantia & fortitudo, quæ in moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus versantur; & huius generis aliæ. Itaque, si virtutis nomen vniuerse sumatur, aliæ sunt virtutes cognitionis, aliæ actionis, siue morum.

In part. Aristo. libro 6. Eth. c. 1.

Prioris

Prioris generis virtutes sunt in ratione, quam ad aliquid cognoscendum, faciendumve recte disponunt; sed eum, in quo reperiuntur, non efficiunt simpliciter bonum, nec eius opus honestum, quod est virtuti maxime proprium. Posterioris vero sunt in voluntate, quam ad honeste agendum promptam, atque expeditam reddunt, & eum in quo sunt, virum bonum simpliciter efficiunt: quarum virtutum opus, est honestum. Quo fit, vt qui illis est praeditus, sciens, qui vero his, bonus, siue honestus & studiosus appelletur. Posteriori virtutum generi contrarium est vitium: priori vero inscientia. Quaerimus ergo in vtro virtutum genere Rhetorica ponenda sit.

Secundum fundamentum: virtus, apud Latinos scriptores multas significationes habet, quarum tres tantum hoc loco ad nostrum institutum accommodatas, explicabimus. Primū igitur nomine virtutis significatur perfectio cuiuscūque rei, siue facultas, qua res aliqua perficitur & aliis rebus praestat, & aliquid operatur; quo modo accepisse videtur Quintilianus, cum velocitatē in equo, & sagacitatem in cane, virtutem esse dixit: qua etiam ratione, et in herbis, & in lapidib. quędam virtutes esse dicuntur, & facultates, quę insunt homini a natura eius virtutes appellares, Et hęc virtutis Lib. 2. cap. 20.

significatio est valde impropria, & fortasse non omnino latina. Altero modo virtus, sumitur pressius, pro aliqua hominis perfectione, quæ non inest a natura, sed vsu & exercitatione acquiritur; quam perfectionem qui est adeptus, vel aliquid recte cognoscit, vel honeste & congruenter naturæ viuit. Et
In part. *hoc modo Tullius accepit, cum virtutem in duas partes distributam esse dixit: Qua significatione omnes omnium artium & scientiarum habitus continentur. Tertio, adhuc pressius, & magis proprie nomine virtutis apud bonos & probatos auctores, & præsertim apud Philosophos, qui mores tractant, solum illæ perfectiones designantur, quæ per operationes honestas acquiruntur, per quas*
Lib. 1. de offic. *homo bene beateq; viuit, ac simpliciter bonus appellatur: quo modo accepit M. Tul-*
Lib. 2. de Inuē. *lius, cum eam in quattuor distribuit partes, quas paullo post numerabimus. Et de virtute in hac postrema significatione in præsentia est disputatio: nanque, si primo, vel secundo modo accipiatur virtus, certum est rhetoricam esse virtutem. Et qui in alia significatione acciperent, profecto grauiter errarēt. Quid autem sit virtus in hac propria significatione accepta, & quotuplex, sequenti fundamento docebimus.*

Tertium

Tertium fundamentum: virtus proprie sumpta, varijs modis a varijs Scriptoribus definiri, ac explicari solet: ex multis autem definitionibus, vnam, vel alteram breuiter attingemus. Cicero, hoc modo: Virtus est animi habitus naturæ, modo, & rationi consentaneus. Ait virtutem esse habitum consentaneum naturæ, hoc est lumini & legi naturali, vnde omnis honesti ratio emanat: modo, quia virtus in quadam medietate, & mensura consistit: rationi, quoniam prudentia, quæ in ratione est, omnibus virtutibus modum præscribit. Plato hoc pacto: Virtus, est habitus per se laudabilis, secundum quem, id, quod illam habet, bonum dicitur. Aristoteles hoc modo: Virtus est Μεσότης τῶν παθῶν. *id est mediocritas perturbationum. Item hoc modo: Virtus est habitus electiuus, in mediocritate, quantum ad nos, consistens: quæ quidem mediocritas ratione præfinita sit: atque ita, vt prudens præfiniret. Quidam alius oratoria quadam descriptione his verbis virtutis naturam exposuit. Virtus est animi constans affectio, conueniensque, laudabiles eos afficiens, in quibus est, & ipsa per se sua sponte laudabilis, ex qua oriuntur honestæ voluntates, sententiæ, & actiones, omnisq; recta ratio. Denique, ne plures huc virtutis definitiones congeram, Diuus Augu-*

Lib. 1. de Inuent.

Libro 2. Mor. Eũdem c. 6.

Libro 2. Ethic. cap. 6. & 11.

Ioan. Vi for. in Top. Ci.

Lib.2.de lib. arbi. cap. 18. D.Tho. 1.2.q.55. art.4. *stinus, cuius finitionem omnes posteriores approbarunt, hunc in modum virtutem finiuit. Virtus est bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nullus male vtitur: addidit, quam Deus in nobis, sine nobis operatur: sed hęc particula conuenit virtutibus, quæ diuinitus donantur. Vel si placet ita definias. Virtus est habitus bonus circa affectiones, & actiones humanas, in mediocritate consistens, honestis operationibus acquisitus. Has omnes definitiones possem, multa ex morali philosophia repetendo, latius exponere; sed in hac re, cum in præsentia non philosopher, diutius immorari nolo. Satis ergo sit explicasse aliquo pacto, quid sit virtus proprie dicta, vt propositam quæstionem terminare possimus. Hæc virtus,* Lib.2.de Orat. Lib.1.de Offic. Lib.2.de Inuent. *quæ a nobis definita fuit, multas sub se habet partes, seu formas: quæ, vt non vno in loco docet M. Tullius, quattuor sunt; prudentia, iustitia, fortitudo, & temperantia: quarum singulæ sub se alias habent partes, quarum enumerationes, ac definitiones apud Tullium leges: de quibus suo loco a nobis planius dicetur.*

Quartum fundamentum: illa particula εὐλέγειν, idest, bene dicere in definitione rhetoricæ a quibusdam posita, variam significationem habere potest. Nam, illud aduerbium, bene, aliquando idem significat, quod cum virtute, id

est honeste: vt cum Cicero ait, benè honesteq; viuere: Aliquando, idem designat, quod, apte, & accommodate: vt cum dicimus rem aliquam bene se habere: aliquando idem valet, quod ornate; quo modo accepit Tullius, cum bene dicere, dixit esse optimis sententijs, & lectissimis verbis dicere, & alio loco: Benedicere, quod est scienter, & perite, & ornate dicere: quo modo in definitione illa profecto accipitur. Quare, hoc aduerbium, bene, tria complectitur, virtutem, aptitudinem, & ornatum. His iactis fundamentis, aliquot superstruamus positiones ad propositam disputationem respondentes. Lege Ci. Lib. 2. de Finib.

Prima positio: Rhetorica est qualitas quædam, siue habitus in ratione existens. Hac positione docemus, in quo nam rerum genere rhetorica ponenda sit, & dicimus esse qualitatem quandam; qua qui est affectus, Rhetor nominatur: & cum plures sint qualitatis partes, dicimus esse habitum, id est dispositionem & affectionem firmam, ac stabilem, quam qui habet, potest aliquid expedite, & sine errore efficere. Indicamus etiam huius facultatis subiectum, quod est, ipsa ratio, in qua cognitionis habitus reponuntur. Est autem hæc positio intelligenda de rhetorica acquisita, non de naturali: quoniam illa vis bene dicendi, quæ a natura habetur, non est habitus, vt alio loco planius explicabitur.

cabitur. Et cum hæc positio sit certissima, nihil est, cur vllis rationibus confirmetur.

Secunda positio: Rhetorica, sua natura, non est habitus malus; & ita non est ponenda in vitiorum numero. Hoc affirmauerim contra opinionem superius citatam; quam late confutabo, cum de huius facultatis necessitate, & vtilitate agam: nunc, hac vna tantum ratione vrgebo. Quoniam, si rhetorica esset habitus malus, nemo vnquam ea bene vti posset; quod falsissimum esse manifesta euincitur experientia, cum multi sint, qui hac facultate honestissime vtuntur.

Tertia positio: si proprie loqui velimus, vt velle in hac disputatione debemus, rhetorica non est inter virtutes numeranda. Possem innumeris fere rationibus ad contrariam sententiam euertendam vti; sed paucis in re manifesta ero contentus. Primum igitur, omissa communi rhetorum sententia, quæ a nobis est, nulla ex allatis virtutis definitionibus, si eas diligenter perpendas, conuenit rhetoricæ; non poterit igitur in genere virtutum reponi. Quod sumptum fuit, verum esse facile quisque, vel mediocriter eruditus, intelligeret, ac propterea in eius probatione immorari nolo. Deinde, si rhetorica esset virtus, nemo ea abuteretur, cum virtus ex vi, atque natura sua ad honestas

Arist. li. 1. rhet. c. 1.

neſtas actiones exercendas diſponat; & eiuſmodi ſit, vt ea nemo abuti queat: at qui, vt experientia ipſa docet, multi dicendi facultate abutuntur, dum per eam homines a virtute retrahunt, ad flagitia impellũt, diſſuadẽt bona, & perſuadent mala: hac facultate Catilina perditos ciues ad coniurationem inflammauit, hac M. Antonius populum contra publicæ libertatis defenſores commouit, hac denique Cicero, ſe iudicum oculis tenebras offudiſſe aliquando gloriatus eſt. Quid igitur eam facultatem virtutem appellabimus, qua ad virtutem euertendam abuti poſſumus? Poſtea, bonus Orator, & bonus vir non ſunt idem, vt ſuo loco euidenter demonſtrabitur; & ſane magis diſtat, bonus Orator a bono viro, quam a bono Cytharedo: quare, nec facultas oratoria idem erit, quod virtus. Bonus Orator Cicero, bonus Demoſthenes, quo nemo fortaſſe vnquam melior: ſed an viri boni fuerint, ij norunt, qui eorum ſcripta, & veterum monumenta legerunt. Ad hęc, rhetorica habet finem, materiam, ceteraſque cauſſas penitus a virtutis cauſſis diuerſas, vt ex hac noſtra tractatione perſpicue cognoſcere licebit: erunt igitur inter ſe omnino diſtinctæ: Et vt aliquid de materia & fine dicamus, materia rhetorices ſunt res omnes, finis, vt Quinctiliano placet, apte dicere ad perſuadendum, Libro 2. c. 15.

vel,

vel, vt nos arbitramur, persuadere: at vero virtutis materia sunt affectiones actionesq; humanæ, finis vero beata vita. Insuper, vt argumentum, quo Fabius in nos vtitur, in eum inuertamus; Dialectica, vt omnes Dialectici, & Philosophi docent, nullam cum virtute affinitatem habet, quod etiam cęci viderent: quid igitur Fabio in mentem venit, vt probare voluerit rhetoricam esse virtutem, quia Dialectica virtus est? His adde, quod si rhetorica in virtutibus numeranda esset, sub aliqua virtutis parte, quas supra recensuimus, contineretur, aut ipsa vna ex partibus esset: atqui, nullus vnquam Philosophus, qui de virtutibus egit; vllam de rhetorica mentionem fecit, non Plato, non Aristoteles, non Tullius, nullus denique alius, igitur: intellige, de virtutibus morum, de quibus nunc est disputatio. Quod si M. Tullius aliquando Dialecticam, virtutem appellauit, nomen virtutis, vniuerse accepit. Postremo, ne in re manifesta confirmanda diutius immoremur, quantum sententia contraria a veritate abhorreat, ex argumentorum solutione, luce meridiana clarius apparebit.

Quarta positio: Male Quinctilianus Ciceronem in suam opinionem trahere conatur. Nam Cicero, cũ de virtute eo modo, quo hic agimus, disputauit, nunquam rhetoricæ meminit, nunquam

quam eam inter virtutis partes connumerauit; non in ſecundo de inuentione libro, vbi dilig ẽtiſſime omnes virtutis partes proſecutus eſt; non in officijs, vlloue alio in loco, igitur: ſed ſemper eam inter artes reiecit, licet aliquando per catachreſim virtutem nominauerit.

Quincta poſitio, ſi virtus ſumatur pro habitu cognitionis, vt ſæpe a philoſophis moralibus ſumi ſolet, rhetorica poteſt appellari virtus. Eſt hæc poſitio certiſſima, & ideo nulla probatione ad eam confirmandam eſt opus. Ariſt. li. 6. Ethic.

Sexta poſitio, Rhetorica eſt ex numero eorum habituum, qui, indifferentes, vocantur: quibus bene & male vti poſſumus. Patet hęc poſitio ex iam dictis: quia, ſi ex ſe non eſt nec malus, nec bonus habitus, vt eſt demonſtratum, erit igitur indifferens.

Septima poſitio: rhetorica non eſt vnus quidam ſimplex habitus, ſeu ſimplex qualitas, ſed ex multis conſtat, & conflatur habitibus, & ex quinq; quaſi magnis artibus, ſcilicet inuẽtione, diſpoſitione, elocutione, memoria, & pronuntiatione. Quod autem hi habitus ſint inter ſe diſtincti, vel ex eo perſpicuũ eſt, quod aliquis in vno poteſt excellere, & in alio parum valere, vt ex libro de Claris Oratoribus apertiſſime colligere licet. Ex his autem diuerſis habitibus vna fit rhetorica, ob vnam materiam in qua verſantur, Cic. li. 1. de Ora.

tur, & ob vnum finem, ad quem referuntur. Verum, his de rebus subtilius disserere, non est instituti nostri.

Octaua positio: si quis rhetorica bene vti velit, virtutum habitibus debet esse instructus. Hoc mihi probasse videtur Fabius, cum plenius suam opinionem ex rhetoricæ operibus stabilire
Libro 1. c.15.
conatus est. Quare, si Orator non fuerit fortitudine præditus, non poterit dicendo sese nefarijs hominum conatibus opponere: & idem de alijs virtutibus dicas. Quod si hoc bonus dicendi magister voluit, id ei perhibenter concedimus. Et his ni fallor, positionibus huic disputationi satis factum est: Et adhuc plenius ex argumentorum solutionibus, quas nunc subijciam, satisfiet.

De primo, non est mirum si Stoici existimarunt rhetoricam esse virtutem, cum fuerint in illa hæresi, vt censuerint, omnes scientias esse
Libro 1. Moral. Eūdem. cap.3.
virtutes: quorum sententiæ Aristoteles, & omnes meliores philosophi sese opposuerunt: cum alia scientia, alia sit virtutis ratio. Neque Antonij apud Ciceronem sententia nos permouere debet; cum potius, quid Crassus, quam, quid Antonius in eo libro sentiat, animaduertendum sit. Quod si quo in loco Cicero virtutem appellat, qua sit ratione intelligendus, paullo ante docuimus.

Secun.

Secundum argumentum quo pacto soluendum sit; ex secundo fundamento plane colligitur. Quare, bonus dicendi magister, nomine virtutis, ad veram sententiam euertendam, valde improprie vtitur: cuius ratiocinatio si quicquã probat, dicam etiam in lapidibus, & herbis esse virtutes; quod quam improprie dicatur, quis est qui non videat?

Tertium, si quid conficeret, euinceret profecto omnes fere artes, etiam mechanicas esse virtutes, cum omnium artium initia quædam sint nobis a natura tributa. Sit igitur ars saltandi virtus, ars histrionica itẽ, & aliæ itidem: quod nemo, vel mediocriter eruditus, affirmaret.

Cum in quarto argumento Fabius ait, virtutem nihil aliud esse, quam sibi consonare, non satis ipse cum veritate consonat, cum alia sit, virtutis, & alia artis, vt ita dicam, consonantia. Nam, aliud est congruenter rationi, seu naturæ viuere, vel, vt ipse loquitur, sibi consonare, quod est bene honesteq; agere; idq; prudentia fit: aliud congruenter & ex artis præceptis, bene dicere, quod est ornate, apte, & copiose dicere; quod artis eloquentiæ prudentia præstat. At prudentia morum, & prudentia artis multũ inter se distant, vt alio dicetur loco.

Quod quincto argumento sumitur, falsum est: neque enim ad bonum Oratorem constituen- Aristot. li j. Rhe to.c.2.

dum,

dum, necessaria est morum bonitas, vt supra diximus, licet multum ad persuadendum conferat: sed hac de re alibi.

Sexta ratio non multum vrget, cum argumenta ab etymologia sumpta, sæpe infirma sint: neque enim quicunque de Deo loquitur Theologus est, licet is dicatur Theologus, qui de Deo loquitur: nec lignum est lapis, licet pedem lædat: aut lateres sunt homines, quamuis fiant ex humo. Adde etiam, quod alij artem ab arctando, quod quibusdam præceptis arctetur, dictam esse volunt. In confirmatione huius argumenti quæ lateat fallacia, constat ex vltimis verbis tertij fundamenti, ex quibus etiam soluitur.

De postremo, hoc argumento solum concluditur, oratorem interdum suadere honestum, quod etiam vir improbus, vt experientia docet, efficere potest, modo quid honestum sit, intelligat: sed non probat eloquentiam esse virtutem, qua homo ita afficiatur, vt id solum velit, quod est cum honestate coniunctum; quod est virtuti maxime intrinsecum. Cum ergo aduersariorum rationes nihil concludant, pro certo atque explorato habeamus, rhetoricam non esse virtutem.

An

An Rhetorica ſit ſapientia, vel ſcientia, vel prudentia. Diſputatio IIII.

EXCLVSIMVS *proxima diſputatione rhetoricam ab earum virtutum numero, quæ in actione verſantur, & ſunt honeſti effectrices: ex quo neceſſario conficitur, eam inter virtutes cognitionis, (nec enim reperiuntur aliæ) reijciendam eſſe. Verum, cum ex Ariſtotelis ſententia, virtutum, quæ cognitione continentur, ſint plura genera; ſequitur, vt in quo genere rhetorica ponenda ſit, explicemus. Et ne plures ſine neceſſitate diſputationes multiplicemus, hac vna, cum in re verſemur manifeſta, examinabimus, an in genere ſapientiæ, vel ſcientiæ, vel prudentiæ collocari debeat. Quod autem in vno ex his tribus generibus ponenda ſit, his rationibus demonſtro.* Lib. 6. Ethic. cap. 3.

Primum, Rhetoricam eſſe ſapientiam luculenta M. Tullij docet auctoritas, dum eloquentiam definiens, dixit: Nihil aliud eſt eloquentia, quam copioſe loquens ſapientia: quid clarius? quid apertius dici potuit? Ad hanc auctoritatem accedat communis Grecorum ſententia; In Part.

Lib. 3. de Orat. *qui, vt idem Tullius scripsit, hanc cogitandi, pronuntiandiq; rationem, vimq; dicendi, sapientiam nominarunt.*

Deinde, is solus est eloquens, qui est sapiens, & nunquam inuenies veram eloquentiam a sapientia seiunctam: atqui, quæ hac ratione sunt affecta, vt vnum ab alio dissociari nequeat, idem sunt: vt esse hominem, & esse rationis participem, esse canem, & sentire: erit igitur eloquentia idem cum sapientia. Et hinc est, quod per Crassum, apud Ciceronem, philosophũ, qui rerum & orationis copiam tradat, Oratorem, & Oratorem, qui sapientiam habeat cum eloquentia coniunctam, philosophum, appellare licet. Arist. li. 1. post.

Postea, Orator debet esse omnium rerum humanarum, atque diuinarum cognitione peritus, vt suo loco a nobis neruosissime demonstrabitur: is autem qui est huiuscemodi cognitione præditus, sapiens nominatur, cum sapientia ex M. Tullio nihil aliud sit, quam rerum dictarum scientia: quare, si Orator est sapiens, rhetorica erit sapientia. Sed esto non sit sapientia, saltem erit scientia. Libro 1. Offic.

Primum, id persuadere possunt multæ definitiones secunda disputatione allatæ, in quibus hæc facultas ponitur in genere scientiæ. Arist. li. 1. post. c. 2.

Deinde, scientia, vt philosophi docent, est ea,

ea, qua aliquid per suas caussas cognoscitur: at rhetorica eorum quæ docet caussas assignat, & cur aliquid ad persuadendum conferat, demonstrat: quid igitur obstat, cur in scientijs reponi non debeat? Quod si scientiam esse perneges, probabo esse prudentiam.

Primum ex auctoritate M. Tullij, qui describens oratorem, dixit esse eum, qui de quauis re prudenter, & copiose, & ornate, & memoriter dicat: at nunquam prudenter diceret, nisi eloquentia esset prudentia, igitur. Et Aristoteles definiens rhetoricam, dixit, esse vim videndi, quid in vnaquaque re sit persuasibile: hoc autem proprium est prudentiæ: erit igitur rhetorica prudentia. Lib. de Orat. Lib. 1. cap. 2.

Deinde, prudentia, auctore Aristotele, est habitus cum ratione actiuus, circa ea, quæ bona sunt: atqui rhetorica est habitus, quo cum ratione aliquid in humana vita efficimus, dum aliquid suademus, aut laudamus, defendimusque, igitur. Et sane, nullus artifex æque prudentia indiget, atque orator; cum res, personas, tempora, loca, aliaq; adiuncta accurate spectare debeat. Lib. 6. Ethic. cap. 5.

Postremo, prudentis est, vt Aristoteles docet, recte posse consilium dare de his, quæ bona & vtilia sunt: at id maxime omnium præstant oratores, cum in genere deliberationis ex Lib. 6. Ethic. cap. 5.

officio versentur: eorum igitur ars erit prudentia quædam. Possem etiam probare esse habitum quendam a natura insitum, quem philosophi, intellectum appellant; qui inter habitus cognitionis numeratur. Nam, cum eloquentiæ vis potissimum sit a natura, non autem ab arte; & si quæ est ars, orta sit ab obseruatione naturæ, profecto concludi posse videtur, esse vim quandam naturalem, & intellectum.

Arist. li. 1. post. cap. 3.
Cic. li. 1. de Ora.

De opinionibus circa hanc disputationem quid dicendum sit, constat ex definitionibus rhetoricæ supra allatis: ex quibus colligere licet, alios eam in numero scientiarum reponere, alios in genere sapientiæ, alios denique esse prudentiam quandam affirmare. Quid autem nobis verius videatur, quibusdam fundamentis, & positionibus aperiemus, ac statuemus.

Primum fundamentum: cum hæc disputatio nulla ratione perspicue terminari queat, nisi explicetur, qua ratione inter se differant omnes illi quinque habitus cognitionis, quos Aristoteles in Ethicis recenset, qui sunt, Intellectus, Sapientia, Scientia, Ars, & Prudentia, ideo hoc primo fundamento eos breuiter definiemus: nec enim omnia, quę de eis dici possent, huc afferemus, cum potius rhe-

Lib. 6. cap. 3.

toricari,

toricari, quam philosophari velimus. Et vt ab intellectu exordiamur, intellectus, hoc loco, non significat facultatem ipsam, qua intelligimus, sed rationis lumen seu notitiam quandam nobis a natura tributam, qua omnium scientiarum, & artium principia cognoscimus: ex quibus initijs, quasi ex quibusdam fontibus, ratiocinando nouæ veritates eliciuntur, & artium habitus procreantur. Huc facit hic elegantissimus M. Tullij locus, vbi loquens de natura, ita scribit. Ingenuit sine doctrina notitias paruas rerum maximarum. Nostrum est ad ea principia, quæ accepimus, consequentia exquirere, quoad sit id, quod volumus effectum. Hanc itaque innatam, atque inustam principiorum cognitionem, quam Græci ἔννοιαν, & πρόληψιν vocant, Tullius, notionem, perceptionem, comprehensionem, inditam notionem, semina, igniculos, intelligentias, fundamenta scientiæ, lumen naturæ, legemque naturalem appellat. Breuiter igitur dicamus intellectum esse principiorum cuiuscunque scientiæ, & artis notitiam, quam non didicimus, sed accepimus: non legimus, sed ex ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Sapientia autem varie a varijs scriptoribus definita, ac

Arist. li. 6. Ethic. cap. 6.

Lib. 5. de Fin.

In Top. Tusc. 3.

Lib. 1. de Leg.

In Ora. pro Mil.

Lib. 1. de Offic. *explicata fuit. Tullius scriptum reliquit, sapientiam esse rerum humanarum & diuinarum scientiam: quam definitionem aliquando*
Lib. 14. de trin. cap. 1. *Diuus Augustinus vsurpauit. Lactantius Firmianus, quem ob sermonis elegantiam, Ciceronem Christianum appellant, hoc pacto sapien-*
Lib. 3. cap. 8. *tiam finiuit. Sapientia, est scientia cum virtute coniuncta. Aristoteles in Ethicis, dixit, sa-*
Lib. 6. cap. 7. *pientiam esse scientiam exactissimam, quæ non solum ea, quæ ex principijs cognoscuntur nouit, sed etiam ipsa principia: ita vt sapientia complectatur scientiam, & intellectum, principiorum nimirum notitiam, & conclusionum. At vero*
Lib. 1. cap. 2. *in metaphysicis paullo fusius sapientiæ naturam exponens, hasce eius proprietates numerauit. Sapientia scit omnia, non ex parte: cognoscit difficillima, quia cognoscere sensibilia, non est sapientis: habet certitudinem maiorem, quam aliæ scientiæ habeant: cuiuscunque quæstionis caussas assignat: est gratia sui, & libera: & denique est alijs scientijs dignior, easque dirigit, ac moderatur. Ex quibus hanc sapientiæ descriptionem conficeres: Sapientia est, quæ omnia difficillima per supremas caussas, tanquam aliarum architectonica certius nouit. Appello sapientiam architectonicam, id est, Principem, ac Reginam, cum sit sui caussa, & ceteris facultatibus dignior, aliasq; dirigat.*

Scien-

Scientia hoc pacto deſcribi ſolet: Eſt cognitio certa & euidens rei neceſſariæ per ſuas cauſſas. Vt eſt cognitio certa, differt ab opinione, quæ eſt imbecilla aſſenſio: vt euidens, differt a fide, quæ eſt obſcura: vt eſt rei neceſſariæ, differt ab arte, quæ eſt etiam de rebus, quæ aliter eſſe poſſunt: vt eſt per ſuas cauſſas, differt a ſcientia communiter ſumpta; prout ſcientia, eſt certiſſima alicuius rei notitia. Prudentia ex Tullio, eſt quæ in perſpicientia veri, ſolertiaq; verſatur: alibi, ait eſſe veluti ingenij aciem ad bona deligenda reijciendaq; cōtraria, quam a prouidendo ſic appellatam eſſe ſcribit. Sed accuratius Ariſtoteles ait, Eſſe habitum vera cum ratione actiuum, circa ea, quæ bona & mala homini ſunt. De arte, in præſentia, cum fuſe ſequentibus diſputationibus de ea ſcripturus ſim, breui dixerim, Eſſe habitum vera cū ratione effectiuum. Prudentia ergo dirigit actiones humanas, vt ad mores & honeſtatem referuntur: ars vero eas actiones moderatur, quarum perfectio non perpenditur ex rationibus honeſti. Ex his itaque deſcriptionibus manifeſtum eſt; quid ſint illæ quinque virtutes, ſiue habitus cognitionis, qui in humana mente reperiuntur. Quo loco obiter ſtudioſos adoleſcentes monuerim, ne Cæſari Scaligero fidem habeant, qui contra omnium ſcriptorum

Ariſt. li. 1. Poſte.

Libro 1. de offic.

Li. 2. de leg.

Lib. 6. Eth. c. 5.

ſententiam, artem, non in ratione, ſed in voluntate ponendam eſſe exiſtimauit. Nam in ea potentia habitus eſt ponendus, ad quam perficiendam eſt comparatus: cum ergo ars ſit cognitionis habitus, quod nemo, vel mediocriter eruditus, negaret, in ratione profecto ponenda erit.

Secundum fundamentum, in quo tanquam certum, atque exploratum ſtatuendum eſt, paſſim, tum Philoſophos, tum Oratores, alioſque Scriptores his nominibus, arte, prudentia, ſapientia, & ſcientia abuti, eaque promiſcue vſurpare. Lib. 1. Eth. *Vnde Ariſtoteles & Tullius interdum artes vocant ſcientias, & ſcientias artes, & prudentiam eam ſolertiam, quę actiones morum non dirigit: cum quæuis ars ſuam habeat prudentiam; vt alio loco explicatius dicetur. Sic etiam ſapientia non raro pro ſcientia, & ſcientia pro ſapientia ſumitur; vt cum* Lib. 2. de Fin. *Cicero dixit. Sapientiam eſſe veri ſcientiam. Hinc eſt, quod hoc nomen, ſapiens, varijs modis accipi conſueuit. Is interdum dicitur ſapiens, qui eſt in aliqua arte peritiſſimus: quo modo Phidiam ſapientem marmorarium, &* Lib. 6. Eth. c. 6. *Polycletum ſapientem ſtatuarium dicimus. Interdum ſapiens vocatur is, qui eam nouit artē, quæ alias, tanquam domina, dirigit, & moderatur: quo fit, vt is qui ciuitatem gubernat,*

sapiens dicatur: cum omnes eas dirigat artes, quæ ad reip. conseruationem pertinent. Alias sapientis nomen ei tribuitur, qui scientiam cum virtute coniungit: qui seipsum noscit, & sibiipsi sapit: huc facit, quod Tullius aliquando dixit, sapientiam esse conuenientem actionem. Postremo is dicitur, simpliciter loquendo, sapiens qui omnia diuina atque humana, quantum fieri potest, nouit, & is, cui illæ insunt sapientię proprietates, quas supra posuimus. Lib. 3. de Fin.

Tertium fundamentum, in quo illud breuiter admonere volo, olim eosdem fuisse viros sapientes, & eloquentes, cum re vera eloquentia sine sapientia esse non possit; & sapientia, sine eloquētia, sit infantia quædam. Hoc, quod in præsentia, tanquam certum, ponimus, alias fusius demonstrabitur, cum quot quantarumq; rerum cognitio in oratore requiratur, nobis explicandum erit: nunc, vnica, eaque illustri Ciceronis auctoritate confirmabo. Cum ergo summus orator de eloquentiæ & sapientiæ diuortio conquereretur, ita scripsit: Hæc autem, vt ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta diuortia: vt Philosophi tanquam in superum mare Ionium defluerent, græcum quiddam, & portentosum; oratores autem in inferum hoc Thuscum, & Barbarum, scopulosum, atque infestum Cice. in Orat. Lib. 3. de Ora.

stum laberentur, in quo etiam ipse Vlysses errasset. Et paulo infra: Postea dissociati, vt exposui, a Socrate, diserti, a doctis, & deinceps a Socraticis item omnibus, Philosophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam; neque quicquam ex alterius parte tetigerunt; nisi quod illi ab his, aut ab illis hi mutuarentur, ex quo promiscue haurirent, si manere in pristina communione voluissent; & quæ apud eundem sequuntur. Ex quibus colligere licet, mirum videri non debere, si eloquentia ob affinitatem, quam habuit, & habere debet, & in optimis oratoribus habet, cum sapientia, & sapientia, & scientia interdum nominetur. Sed iam quid in hac dubitatione sentiendum sit, aliquibus positionibus explicemus.

Prima positio, Rhetorica, seu eloquentia, nõ est sapientia simpliciter: sapientiam simpliciter eam appello, quam ex Aristotele supra definiuimus. Hæc doctrina est certissima, cum nulla fere ex illis supra recensitis sapientię perfectæ proprietatibus rhetoricæ conueniat: quare insipientis esset, contendere velle, eam esse sapientiam. Et cum non sit scientia, vt statim dicam, neque sapientia numeranda erit, cum sapientia sit quædam perfectissima, & exactissima scientia.

Secunda positio: summus orator sapiens, &

sum-

summa in eodem eloquentia, potest appellari sapientia; sed ex parte, in hoc nimirum ornate & copiose dicendi genere. Claret hæc positio ex supra positis fundamentis, et ex ijs, quæ sexto Ethico docet Aristoteles.

Tertia positio: Rhetorica, proprie loquendo, non est ponenda in genere scientiæ. Hanc positionem cõfirmat in primis apertissima Aristotelis sententia, qui aliquando scripsit, eos dialecticam & rhetoricam interimere, qui eas non tanquam facultates, sed tanquam scientias tractant. Adde huic auctoritati rationem a definitione scientiæ sumptam, quæ nullo modo rhetoricæ quadrat: cum bona ex parte non sit de rebus certis, a corruptione remotis, & vniuersis; sed potius de rebus humanis, singulis, et dubijs, quæ certa & indubitata cognitione tenere nequeunt. Quod si scientiam generatim pro quacunque cognitione sumeres, scientiam appellare posses, sed improprie. Lib. 1. Rhe. c. 4.

Quarta positio: Rhetorica, si proprie loqui velimus, non est prudentia. Siquidem, vt manifestum cuique est, hæc facultas nullas nobis recte viuendi rationes præscribit, quod est prudentiæ, vt de prudentia nunc loquimur, maxime intrinsecum; sed potius præcepta bene dicendi tradit: at bene viuere, & bene dicere, longe inter se distant: igitur. Adde etiam, quod

nulla

Arist.li 6. Ethic. *nulla virtus (vt ij docent Philosophi, qui mores tractant) potest sine prudentia consistere; cum sit veluti dux & auriga virtutum omnium, cum eam mediocritatem, in qua sita est virtutis ratio, inueniat: atqui sine rhetorica possumus omnes virtutes adipisci; longe igitur a natura prudentiæ distabit.*

Quincta positio: rhetorica non est intellectus, hoc est, non est notio, seu vis quædam a sola natura insita. Nam absoluta atque perfecta dicendi facultas, de qua in præsentiarum est disputatio, non habetur nisi accedat ars, atque exercitatio. Est ergo hæc positio certissima, ac proinde nulla maiore probatione indiget.

Vltima positio: Perfecta eloquentia continet in se intelligẽtiam, sapientiam, scientiam, & aliquam prudentiam: quoniam sine his, vt alio loco dicetur, perfecta esse non potest. Sed iam ad argumentorum solutionem accedamus.

Quod ergo ad primum argumẽtum attinet, concedimus vna cũ Cicerone, & Grȩcis eloquẽtiam perfectam debere esse cum sapientia coniunctam: sed ex hoc non conficitur has duas facultates, vel vnius facultatis partes, esse prorsus idem: quia, si idem prorsus essent, dissociari non potuissent; quod tñ factum fuisse ex Cicerone discitur. Lib. 3. de orat. *Potest itaq; sapientia sine eloquentia consistere; non tamen eloquentia perfecta*

sine

sine sapientia. Sicuti grammatica pōt esse sine rhetorica, non tamen rhetorica sine grāmatica.

Ex his patet etiam quid dicendum sit ad secundum: falsum est enim sapientiam non posse ab eloquentia separari: & qm̄ hac separatione facta, eloquentia remanet imperfecta & mutilata, ideo Crassus, qui perfectum oratorem informare volebat, iterum eas copulādas esse docebat; ne sapientia sine eloquentia sit infantia, & eloquentia sine sapientia stultitia. Cice. in orat.

Tertium quoque argumentū eadem fere ratione dissolueres: nam, esto absolutam eloquentiā nō posse esse nisi in eo, qui fuerit omni scientiarum genere ornatus; tamen, in hoc homine, aliud est ea vis, per quam sapit; aliud vero ea facultas per quam copiose, & ornate ea dicit, quæ nouit. Est ergo bonus orator, sapiens, sed non per solam vim eloquentiæ: sicuti non est eloquens per solam sapientiam. Huc facit, quod aliquando acute pronuntiauit Tullius, in Philosophorum cognitione non continuo inesse eloquentiam. Lib. 3. de orat.

Quod attinet ad primam rationem, qua probabatur esse sapientiam; nihil concludit: quia, aut illi errarunt, aut nomine scientię abusi sunt: quod ijs, qui oratorio modo definiunt, concedi potest. Solent enim rhetores aliquando suam artem appellare scientiam, vt præceptorum, quæ

in ea traduntur certitudinem designent.

Neque altera ratio multum vrget, quoniã orator, vel caussas non inquirit; vel si quas quærit, extrinsecas assignat: neque tam de earum veritate est sollicitus, quam de probabilitate, & persuasionis specie.

Prima illa ratio, qua probabatur esse prudentiam, solum euincit, in oratore desiderari prudentiam, sicuti in quouis alio artifice; cum singulæ artes, & maxime, quæ in coniectura versantur, priuatam prudentiam habeãt; quod nos libenter concedimus: sed hæc non est prudentia illa, de qua est dubitatio.

Ex quo etiam patet quid de Aristotelis definitione sentiendum sit, quam postea diligentius explanabimus: neque enim ait esse vim videndi agenda, sed persuadenda.

Altera ratio ex iactis fundamentis haud obscure soluitur: per rhetoricam enim aliquid cũ recta ratione efficimus; at vero per prudẽtiam recte, hoc est, honeste agimus, & viuimus.

Ex tertia id solum efficitur, oratori consulere volenti necessariam esse ciuilem prudentiã, si de rebus ad reip. statum pertinentibus consilium dare velit.

Postrema, solum probat huius artis initia quædam esse nobis a natura tributa: at nos de tota & absoluta arte disputamus. Fixum itaque

que maneat, per ea quæ a nobis decreta sunt, rhetoricam, nec sapientiæ, nec scientiæ, nec prudentiæ, nec intelligentiæ nomen sibi proprie vendicare. Sequitur ergo vt sequenti disputatione quæramus, an in genere artis collocanda sit.

An Rhetorica sit ars, Disputatio V.

Pars prima, in qua explicantur non nullæ artis significationes.

QVONIAM *vero nunc latissima sese nobis offert disputatio, ne rei amplitudo, ac longitudo legenti fastidium ac obscuritatẽ pariat, eam in quasdam partes secabimus, vt omnia facilius explicari, ac comprehendi queant. Primum itaque dicemus de nomine artis: deinde, ea numerabimus, quæ ad artem conficiendam sunt necessaria: deinde, quid sit ars, eius varias definitiones afferendo, & explicando, docebimus: postea, quæ fuerint hac de re sententiæ aperiemus: præterea, quid sit sentiendum non nullis positionibus decernemus: postremo, rationes quæ contra nostram sententiam pugnant afferentur, ac dissoluentur.*

Legẽ. Cice. lib. 1. & 2. de Orat. Quinct. libro 2. cap. 17. Frã. Pic. lib. 1. de vanit. doct. gen. cap. 6.

Quod

Donat⁹. *Quod igitur ad primam huius disputationis partem attinet; Artem aliqui dictam esse volunt, ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id est, a virtute: alij vero παρὰ τὸ ἀρτᾶν, id est, a compingendo, & coniungendo, siue arctando: quod ars multa in vnum compingat, atque coarctet præcepta. Et licet hoc nomen multas significationes habeat; tamen, eas solùm nos attingemus, quæ proxime ad nostrum institutum faciunt.*

Primum nomine artis illæ facultates proprie continentur, quæ aliquid moliuntur & efficiunt: veluti ars texendi, pingendi, dolandi, fabricandi naues, & aliæ harum similes, quæ post effectionem aliquod relinquunt opus. Hac significatione vsus est Aristoteles, cum dixit Artem esse habitum cum recta ratione effectiuum: quo loco, effectionem ab actione distinguit: & alio in loco, cum ita scripsit: Circa facturam, & quę in faciendo posita sunt, ars: siquidem in faciendo potius, quam in agendo, est artem exercere. Eodem modo vsus est hac voce Plato, cum dixit, esse artem quandam fulcimentorum aduersus frigora effectricem. Et M. Tullius, cum scriptum reliquit, esse quoddam artium genus, quod molitur aliquid, aut facit: quarum omne opus est in faciendo, atque agendo.

Lib. 6. Eth. c. 3.

Libro 1. mag. mor. capit. 33.

Lib. de regno.

Lib. 2. Acade. quæst.

Secunda artis significatio est aliquanto latior, cum nomine artis non solum, quę efficiunt,

sed etiam, quæ aliquid agunt, significantur. Hac significatione vsus est Plato, cum enumerauit artes, quæ ad remp. conficiendam sunt necessariæ: vbi non solum eas, quæ in efficiendo, sed etiam quæ in agendo versantur percensuit. Eodem modo vsurpauit Aristoteles, cum dixit artium liberalium professores, qui se trepidare nouerunt, principio summissa voce agere, dum resideant, & stabiliantur. Dial. 1. de rep. Sect. 11. prob. 65.

Tertia significatio adhuc latior, qua non solum effectionis & actionis, sed etiam cognitionis facultates continentur. Hac significatione vsus est Plato varijs in locis, cum nomine artis complexus est Arithmeticam, & Geometriam, quæ sola cognitione sunt contentæ: & cum quæsiuit quænam artes efficiant sapientiam. Eodem modo sæpe hoc nomen vsurpauit Aristoteles; & multis locis omissis, locus manifestus est in libro primo de arte dicendi, vbi cum definiuisset rhetoricam, eiusque officium demonstrasset, dixit, nullius alterius artis id munus esse, & ad id explicandum vsus est, exemplis ab artibus, quæ sola cogitatione continentur, sumptis. Eodem modo vsus est M. Tullius, cum in Oratore perfecto omnium maximarum, ac præclarissimarum artium cognitionem requisiuit: & cum eloquentiam aliquem Philosophorum In Protag. In Gorg. In Epinomide. Cap. 1. Libro 1. Met c. 2. Lib. 1. de orat.

artibus cumulum afferre scripsit.

Lib. 3. de orat. *Sed peteret hoc loco quispiam, cur artis nomen, quod proprie ijs facultatibus tribuitur, quæ aliquid moliuntur, & efficiunt, actioni & cognitioni tribuatur? Tribuitur quidem actioni, quia actio effectioni finitima est; ac proinde ab vna ad aliam facilis fuit migratio: vt artes vocarentur etiam illæ facultates, quæ solum in actione versantur. Illis vero virtutibus, quæ in cognitione consistunt, ideo nomen artis accommodatur; quoniam, sicuti artes effectionis certam quandam viam ac rationem tradunt, quæ non patitur eum, qui agit, errare; ita scientiæ, cum quadam methodo, ac certo ordine tradantur, artis nomen sunt sortitæ. Ars itaque in hac tertia significatione, quamcunque designat disciplinam, quæ certa methodo, facilique via traditur: vt ars idem significet, quod methodus, breuem nimirum ac facilem viam, & ad aliquid cognoscendum agendumque rationem. Et sane, nomine methodi, apud Græcos, passim omnes designantur artes & disciplinæ, quæ certa cum ratione tractantur. Quo modo accepit Aristoteles, cum dixit, tunc nos scire circa omnes methodos, quæ principia & elemēta habent, cū caussas cognoscimus: & in Topicis sæpe nomine methodi, artē quācumq; designat.*

Lib. 1. Physic. tex. 1.

Lib. 1. c. 1. 2. & 3.

Denique,

Denique,ne plures proſequamur huius artis ſignificationes, ars, tum apud Latinos, tum apud Græcos ſcriptores, & ſpeciatim apud Comicos,idem ſignificat,quod fraus,dolus,aſtutia, & cauillus. Ita accepit Virgilius, cum cecinit.

Tum vero ardemus ſcitari, & quærere cauſſas, Lib. 2. Aenei.
Ignari ſcelerum tantorum, artisque Pelaſgæ.

Atque hæc de prima huius diſputationis parte dicta ſufficiant: ex qua colligitur,quo modo ars, hoc in loco a nobis vſurpari debeat, tribus nimirum primis ſignificationibus.

Secunda pars, in qua explicatur quid ad artem conficiendam ſit neceſſarium.

EXPLICATIS *ijs artis ſignificationibus,quas cognoſcere ad rem noſtram neceſſarium eſſe videbatur; ſequitur,vt quæ ad artẽ conſtituendam conuenire debeant,doceamus. Illud in primis ad artem conficiendam eſt maxime neceſſarium,vt ars ſit ita conſtituta,vt ſit quaſi regula,ac menſura quædam, & certa ratio efficiẽdi aliquod. Hoc aperte docuit Ariſtoteles, cum in definitione artis poſuit illam particulam, cum recta ratione, quam qui in agendo adhibet, nihil peccat. Qui ergo in re aliqua efficienda* Lib. 6. Eth.c.4.

 carent

carent regula, ij temere agunt: quod est ab artis natura omnino alienum. Deinde ea facultas, quæ nomen artis mereri vult, eiusmodi esse debet, vt eorum quæ facit, sciat rationem reddere. Hoc docet Soctates apud Platonem, cum Polo ait, nullam se appellare artem, quę careat ratione, hoc est eorum quæ efficit, nullam rationem afferat: & propterea coquinariam, quod absque vlla ratione voluptatem in cibis aucupetur, non artem, sed peritiam quandam vocat. Deinde, ad artem constituendam opus est multis perceptionibus, quibus via & ratio ad aliquid faciendum aperitur. Huc facit hoc luculentum M. Tullij testimonium, Ars vero quæ pcteſt esse, nisi, quæ non ex vna, aut ex duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? Et alio loco dixit, Artes confici ex cognitionibus comprehensionibusque rerum. Idem non obscure significauit Aristoteles, cum docuit qua ratione ars rhetorica fieri potuerit. Ars itaque multas in vnum præceptiones debet coarctare, atque coniungere. Deinde, præcepta ista, quæ in arte traduntur, debent esse inter se cohærentia, & consentanea: vt nullo modo inter se pugnent, sed maxima consensione vnum finem spectent. Postea artis præcepta debent esse firma, certa, stabilia,

Aristot. li. 1. Rhetor. c. 1.
In Gorgia.
Aristot. libro 1. Met. c. 1.
Lib. 2. Acade. quæst.
Lib. 4. de Fin.
Libro 1. Rhe. c. 1.

ſtabilia, ita vt non patiantur eum errare, qui probe ea tenuerit, atque eis idonee ad finem artis conſequendum vſus fuerit. Poſtremo, ea cenſenda eſt ars, quæ ſecum aliquam vtilitatem ad humanæ vitæ ſocietatem retinendam afferat. Hanc conditionem neceſſariam eſſe, non vno in loco docuit, Plato: & ideo aliquando dixit, Medicinam non eſſe inuentam ad comparandas pecunias, ſed ad corpora ſananda. Propterea, cum diſciplinæ Mathematicæ inutiles appellari ſoleant, earum vtilitatem demonſtrare aliquando conatus eſt. Quo fit, vt in definitione artis, non nulli hanc conditionem exprimant. Atq; hæc de hac parte dicta ſufficiant, quæ omnia in ſequenti particula adhuc manifeſtiora fient.

Dial. 1. de rep.

Tertia pars, in qua exponitur, quid ſit ars.

TERTIO *itaque loco quid ſit ars explicaturi, quaſdam artis definitiones magis illuſtres afferemus, & enucleabimus. Ariſtoteles, vt ab eius definitione exordiũ capiamus, hunc in modum artem finiuit. Ars eſt habitus, cum ratione vera effectiuus. Dicitur habitus, qua particula oſtenditur genus, in quo ars conuenit cum cæteris virtutibus cognitionis. Dicitur, cum*

Lib. 6. Rhe. c. 4.

ratione, vt significentur duæ priores artis conditiones superius explicatæ. Dicitur cum ratione vera, vt distinguatur ab ἀτεχνία, idest, ab inertia, quæ aliquid efficit cum ratione falsa: in recto enim & peruerso, vt ait Eustratius, ars et inertia inter se discrepant. Dicitur effectiuus, vt distinguatur ab habitu cognitionis & actionis, qui nihil, proprie loquendo, efficiunt. Hæc Aristotelis definitio est optima, & solum eas complectitur artes, quæ proprie artes nominantur. Cicero hac vsus est descriptione: Ars est, quæ cognitis, penitusque perspectis, & in vnum exitum spectantibus, & nunquam fallentibus rebus continetur. Docet hæc definitio artem constare ex rebus, hoc est ex præceptis, siue perceptionibus, vt alijs in locis artem definiens, loquitur: quæ præcepta vnum debent spectare finem, ex quo præceptorum rationem sumendam esse aliquando sapienter, idem auctor docuit. Et denique in hac definitione nonnulla ex ijs, quæ ad artem constituendam necessaria esse diximus, attinguntur. Quinctilianus artem describens, dixit, Artem constare ex præceptionibus consentientibus & coexercitatis, ad finem vitæ vtilem. Eustratius in librum primum Ethicæ Aristotelis, ait: Artem esse ex perceptionibus exercitatis ad aliquem finem in vita vtilem tendentem

In lib. 6. Ethic. cap. 4.

Lib. 1. de orat.

Lib. 1. de Inuē.

Lib. 2. cap. 17.

In ca. 1. & 7.

collectio-

collectionem. Hæ tres descriptiones parum inter se differunt, & sunt explicationes quædam eius definitionis, quam Stoici tradiderunt: quæ ita habet. τέχνη ἐςὶ σύςημα ἐγκαταλήψεων ἐγγεγυμνασμένων, πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ: *hoc est, Ars est constitutio perceptionum exercitatarum, ad aliquem finem vtilem in vita. Harum ergo descriptionum hæc videtur esse sententia. Ars est constitutio, siue ordo, & consensio perceptionum, quæ ad aliquem finem vitę vtilem exercentur.* Lucian.

Circa hanc definitionem, cum sit valde celebris, non nulla nobis ad maiorem eius explicationem, animaduertenda sunt. Primum hæc descriptio omnium artium generibus aliqua ratione accommodari potest; vt ex dictis, facile intelligi licet, & ex ijs quæ dicentur multo facilius intelligetur. Deinde, illud verbum græcum, σύςημα, *globum, congregationem, & collectionem significat: Cicero, comprehensionem, vertit. Aristoteles mundum describens, dixit esse* σύςημα τῶν ὄντων, *id est, globum & collectionem eorum, quæ sunt. Verbum græcum,* ἐγκαταλήψεων, *Cicero, perceptionum, vertit. Quinctilianus habet, prçceptionum; sed in omnibus codicibus locus, ni fallor, est mendosus, quod eius*

Mosel. Camer *scholiastes & emendatores non vidisse, mirum est: cum existimandum sit, Fabium in huius verbi expositione imitatum fuisse M. Tullium: qui huius vocis vim alio loco exposuisse videtur, cum καταληπτον, quod comprehendi potest, vertit.* Libro 2. Acade. quæst. *Et καληφθὲν, dicitur, quod quasi manibus comprehensum tenetur: aut quod certo scitur, de quo minime dubitatur. Sunt etiam apud Græcos, καταλήψεις communes animi notiones, ac vniuersales propositiones perspicuæ, ac per se notæ.* Episto. apud Aian. *Postea in eadem definitione, ἐγγεγυμνασμένον, Quinctilianus vertit, coexercitatis; sed vertendum erat, exercitatis: atqui fortasse aliter legit Fabius. Ponitur hæc particula ad demonstrandum parum artis perceptiones prodesse, nisi fuerint exercitatæ, atq; tractatæ. Additur postremo, in eadem definitione, hanc perceptionum comprehensionem debere esse vtilem, quo verbo etiam delectatio, & iucunditas continentur; vt exponatur vna ex cōditionibus ad artem requisitis. Ex his colligere licet, quam male quidam noui scriptores Stoicorum definitionem pressius com plecti volentes, dixerint, Artem esse præceptorū coaceruationem. Primum, quia talis descriptio non assequitur vim verborum græcorum, cum σύστημα, non significet coaceruationem, neque κατάληψις, præcepta. Deinde, non quæuis*

coaceruа-

coaceruatio præceptorum est ars, sed quæ sit ordinata, & ad aliquem finem vtilis. Postremo, coaceruatio est actio & operatio quædam: at vero ars, est animi habitus. Alij paulo melius, hoc modo: Ars est comprehensio, seu institutio præceptorum ad vnum finem tendentium. Streb. in 1. de Orat.

Quidam recentiores aliam quādam artis definitionem introduxerunt, quæ ita habet. Ars est, quæ dat rationes certas, & præcepta, agendi, vel faciendi aliquid, quæ habent ordinem, & quasdam errare in agendo, vel faciendo non patientes vias. Mendicarunt isti hanc descriptionem ex ijs, quæ M. Tullius in Bruto scripsit, paucis verbis mutatis. Sed cum Ciceronis eo in loco propositum, non sit artis naturam exponere, sed solum de Hermagoræ doctrina iudicium ferre, non debuerunt ex his verbis, sine necessitate, nouam definitionem conflare, cum aliæ satis idoneæ definitiones extent. Adde etiam, quod ista definitio non potest in omnes artes quadrare, si actionis, & effectionis nominė proprie vti velimus, cum per eam ab artium numero excludantur artes cognitionis. Denique, ne plures definitiones prosequamur, Cleanthes hoc pacto artem finiuit. Ars est potestas, viam, & ordinem faciēs. Quibus verbis descripsisse videtur artē, Quinct. libro 2. cap. 17.

prout

prout ars, interdum idem significat, quod methodus.

In lib. 1. Phys. *Methodus autem, vt Philopono placet, est habitus viam faciens cum ratione. Sed quęnam est ista via, quam methodus facit? Vt huic interrogationi satisfaciam, animaduertendum est, in artibus esse duo rerum genera: aliæ sunt res communes, & notiores, ex quarum cognitione in aliarum cognitionem breuius, atque facilius venitur: aliæ vero particulares, & minus notæ, quarum notitia ex aliarum cognitione pendet.* Arist. li. 1. Phys. cap. 1. Libro 3. cap. 1. *Methodus ergo hanc viam docet, vt a communioribus, & notioribus ad particularia: & minus nota, progrediamur: ne eadem sępius sine vtilitate repetere cogamur: cum finis methodi sit, rem breuiter, & facile docere. Sed nos alio loco plura de methodo, quam fortasse non inepte hoc modo describeres. Methodus est eorum, quæ in aliqua disciplina tractantur dispositio, secundum prius & posterius, prout congruit naturæ rerum, vel captui, & affectui audientium.*

Denique circa hanc partem animaduertendum est, illam Aristotelis definitionem, quæ est omnium aptissima, si de arte proprie loqui velimus, posse accommodari artibus actionis, si dixeris esse habitum cum vera ratione effectiuum, vel actiuum. Vel si velis etiam sub eadem

dem definitione cõplecti cognitionis artes, prout methodi quædam sunt, dicas, Artem esse habitum cum vera ratione aliquid agendi, & cognoscendi. Atque hæc de hac tertia parte.

Quarta pars, in qua explicantur varia de re proposita sententia.

IN *hac quarta huius disputationis parte, quæ fuerint de re proposita sententiæ breuiter indicandum est. Prima ergo opinio fuit eorum qui dixerunt, nullam esse bene dicendi artem: hoc Amafanium & Rabirium sensisse ex Cicerone discimus. Idem dicerent Epicurei omnes, cum suo magistro Epicuro, & ij philosophi, qui omnem assensionem funditus sustulerunt, qui Sceptici nominantur, quasi quæsitores, & consideratores. Cum ergo ex istorum sententia, nihil habeamus percepti, & cogniti, omnis euertitur ars, ac disciplina, vt optime Tullius cõtra istos agens, concludit: cũ nihil ex arte effici possit, nisi is, qui artem tractat, multa perceperit.* Lib. 1. Acad. quæst. Gell. lib. 11. c 5. Lib. 2. Acad. quæst.

Secunda opinio fuit aliorum, qui existimarunt rhetoricam esse a natura: tamen adiuuari exercitatione non diffitentur: & ita potius obseruationem quandam, quam artem esse volunt. Ita videtur sensisse Antonius apud Ciceronem, Libro 1. de Ora.

Lib. 2. cap.17. *ronem, quam etiam opinionem Lysias habuit, vt Fabius scribit.*

Tertia sententia, aliorum, qui concedentes esse aliquo pacto artem; negant tamen esse artem perfectam; cum rebus penitus pespectis, planeq; cognitis, atque ab opinionis arbitrio seiunctis, scientiaq; comprehensis, non constet. Itaque solum ex quadam vulgi opinione erit ars; aut artis similitudo quædam. Id in sua cum Lib. 1. de Orat. *Antonio hac de re disputatione, concludere videtur Crassus, cuius sententiam quidam moderni Scriptores libenter amplexantur: in quibus Maioragius esse videtur: qui declarans rethorices definitionem ab Aristotele traditam, ideo ait eam appellare facultatem, quod non sit ars quædam perfecta.*

Quarta sententia Socratis apud Platonem, In Gor. *qui interrogatus a Polo, an Rhetorica esset ars; respondit, non esse artem, sed peritiam. Verum hæc sententia, a secunda, & tertia parum dissidet, si non est eadem, cum hoc loco, peritia, pro quadam obseruatione sumi videatur.*

Quincta sententia, aliorum, qui dicunt rhetoricam non esse proprie artem, sed vim, & facultatem quandam, qua in vtranque partem dicere possumus. Ita videntur sentire ij, qui in eius definitione, loco generis, hanc

parti-

particulam, vim, & facultatem ponunt.

Sexta & vltima opinio aliorum, qui eam in genere artium reponunt, ita vt vere, & proprie ſit ars: quam ſententiam omnes fere dicendi magiſtri olim ſecuti ſunt, atque nunc ſequuntur. Ceterum, in omni fere ætate inuenti ſunt, qui contra hanc opinionem ſeſe multis argumentis oppoſuerint, quæ argumenta in poſtrema huius diſputationis parte a nobis afferentur, ac diſſoluentur. Multa enim Critolaus, Athenodorus, Agnon, & Ariſtoteles in Gryllo, id eſt in libro de arte rhetorica, ſic inſcripto, vt Laertius refert, contra diſputarunt. Sed, vt ait Fabius, non tam id fecerunt, quod contra ſentirent, quam vt ingenia exercerent. Diog. Laert. in vita Ariſt.

Quid autem in hac difficultate tenendum ſit, ſequenti parte explicabimus, ſi illud prius admonuerimus, propoſitam diſputationem poſſe intelligi, vel de rhetorica, vt ſolam includit artem, quæ bene dicendi præcepta tradit, vel etiam de tota facultate bene dicendi, & de eloquentia, quæ præter ipſa præcepta multarum, ac maximarum rerum requirit cognitionem: cum hæ duæ rhetoricæ conſiderationes apud bonos dicendi magiſtros ſint inter ſe omnino diuerſæ.

Quincta

Quincta pars, in qua varijs positionibus propositæ respondetur difficultati.

CVM in superioribus huius disputationis partibus ea adnotauerimus, quæ ad hanc quæstionem explicandam nobis necessaria visa sunt; consequens est, vt nostram sententiam aliquibus positionibus aperiamus.

Prima positio: si ars sumatur, vt eas solum complectitur artes, quæ sola cognitione contentæ sunt, rhetorica, quocunque modo consideretur, non est ars, quod idem est, ac si diceres, non esse scientiam. Patet hæc positio ex ijs quæ diximus disputatione tertia; & patebit etiam ex ijs, quæ in sequenti dicemus.

Secunda positio: si ars sumatur eo pacto, quo definita fuit ab Aristotele, rhetorica, quocunque modo accipiatur, non est ars. Quoniam, vt inferius demonstrabitur, non est ratio efficiēdi aliquid; hoc est, post ipsam operationem non relinquit aliquod opus, vt ars texendi, fabricandi, & pingendi, faciunt.

Tertia positio: si ars sumatur pro methodo, quocunque modo, rhetorica accipiatur, est vere, & proprie ars. Etenim, qui est ea præditus, certa quadam ratione inuenit, disponit, & orationem in suas partes distribuit, ac denique

omnia,

omnia, quæ ad persuadendum conferunt, certo quodam ordine tractat; ita vt facile ab auditoribus percipi queant.

Quarta positio: si rhetorica sumatur pro disciplina quæ bene dicendi præcepta tradit, est vere & proprie ars: ita vt in hoc habituum genere, & in nullo alio reponenda sit. Et de rhetorica hoc modo sumpta, hæc difficultas speciatim intelligenda est. Hæc positio his rationibus confirmatur. Primum, auctoritate grauissimorum scriptorum, omissis minus illustribus, Plato in Phędro, ex quo dialogo quid de arte dicendi vir eloquentissimus, senserit, iudicari debet, loquens de quadam oratione Lysiæ, cuius etiam artem, tanquam minus perfectam, vituperat, ait: An vis videre vbi artificiose, & vbi sine arte agitur? & qua ratione oratio conficienda sit, docet. Agnoscit itaque Plato aliquam dicendi artem. Et vt multa loca, quæ notari in hoc dialogo possent, silentio præteream, si rhetorica non esset Ars, nunquã Socrates exclamasset: O quam callide abstrusam artem adinuenisse videtur Tisias, vel quicunque alius fuerit? vbi semel, & iterum artem appellat: & concludens, ait, se de arte & inscitia orationis dixisse. Quod si in Gorgia, aliter sensisse videtur, non est mirum, quia ibi corruptam & imperfectam sophistarum dicendi Plato.

ratio-

Lib. 1. cap. 1. *rationem insectatur. Aristoteles, quid hac de re existimauerit, artificiosissimo opere, quod de arte rhetorica scripsit, & inscripsit, declarauit: vbi qua ratione hæc ars fieri potuerit, docet. Est etiam luculentum testimonium apud eundem in altero elenchorum libro: vbi docet, quo pacto, & per quos hæc ars creuerit; & inter ceteras artes connumerat, atque de ea prius, quam de dialectica præcepta data fuisse docet.* Cap. vlt.

Lib. 1. & 2. de Or. *Tullius etiam qua ratione hæc ars fieri potuerit, ex ijs, quæ scripsit Aristoteles, elegantissime exposuit: & de ijs, a quibus ad artem redacta fuerit, sermonem habuit: & de Isocrate agens, ait, eum primum negasse esse vllam dicendi artem; postea vero ad artem componendam se transtulisse: denique, aliquando scripsit, eloquentiam artificio contineri, quamuis non sit solo artificio contenta. Fabius Quinctilianus ex professo hanc disputationem examinauit, & omnia aduersariorum argumenta refellere conatus est, licet non omnia bene, vt postea dicemus. Et ne plures sine necessitate huc auctores congeram, hos attulisse sufficiat. Deinde, omnes definitiones artis superius allatæ, excepta illa Aristotelis, conueniunt rhetoricæ, cum ipsa constet ex multis perceptionibus inter se coherentibus, quæ ad aliquem finem humanę vitæ vtilem consequendum maxime conferunt;* In Bruto. Lib. 1. de Inuent.

quid

quid igitur ab artium numero erit excludenda? Immo, si verbum, effectio, seu factio, in illa definitione Aristotelis, sumatur pro quacunque operatione, quæ non est actio, id est, non est operatio honesta, illa etiam definitio poterit accommodari rhetoricæ, cum sit habitus quidam cum vera ratione effectiuus: cum re vera doceat vera cum ratione aliquid efficere, quamuis quod efficitur, non sit quicquam ab ipsa effectione diuersum. Ad hæc, cum rhetorica non sit habitus actionis, id est, morum, sed cognitionis, nec sit sapientia, uel scientia, vel prudentia, aut intellectus, vt hactenus demonstratum est, sequitur necessario esse artem, si ab Aristotele recte cognitionis habitus fuere numerati. Præterea, cum videamus quosdam temere & inartificiose dicere, & si quid recte dicant, nescire rationem cur recte dixerint: alios vero contra certa quadam ratione, ac modo, & cur recte dicant, caussam non ignoraret, quod prudens negaret nemo: erit igitur aliqua dicendi ars: qua, qui est instructus, expedite & sine errore dicet, atque eorum quæ dicit rationem reddet. Et denique, quid habet amplius, quod ad rationem artis attinet, poetica, quod ars dicatur, quam rhetorica? quid grammatica? quid texendi, quid pingendi,

Lib. 6. Ethic.

quid fabricandi ars? Concludamus igitur esse artem, & quidem proprie, & in suo genere perfectam.

Quincta positio: si rhetorica sumatur pro eloquentia, quæ & artem ipsam, & rerum multarum scientiam complectitur, potius in genere artis, quam in vllo alio genere ponenda est. Quoniam ex hac duplici cognitione, quasi ex duabus partibus vna conficitur perfecta dicendi ars, siue artificiosa facultas, quam eloquentiam nominamus: qua qui est instructus potest cum vera & recta ratione copiose & apte ad persuadendum dicere. Sed hac de re postea planius dicetur.

Sexta positio: si rhetorica, seu eloquentia consideretur vt est in vsu posita, & ratione materiæ, in qua versatur, habet aliquid imperfectionis, cum res non necessarias, sed verisimiles & probabiles potissimum tractet, & quæ ad communem hominum vitam pertinent, quæ nulla sunt certa necessitate constricta. Hanc doctrinam, ni fallor, Antonius & Crassus, nobis tradere voluerunt, cum dixerunt, rhetoricam non esse absolutam, atque omni ex parte perfectam artem. Sunt enim ait Crassus, varia, & ad vulgarem, popularemq; sensum accommodata, omnia genera huius forensis nostræ dictionis. Et Antonius de Carneadis sententia,

Libro 1, de Ora.

Libro 1 de Ora.

Hæc

Hæc autem omnia ait, quæ tractantur ab oratoribus, qui ea omnia non plane tenerent, & audirentur ab ijs, quibus non scientia esset tradenda, sed exigui temporis, aut certe obscura opinio. Est itaque, vt Aristoteles, & ante ipsum eius præceptor Plato, tradidit, oratorius sermo de ijs, quæ a populo percipi queant; qui non tam veris & certis, quam verisimilibus, & probabilibus capitur. Libro 1. Rhe.c.2.

Septima positio: quamuis rhetorica sit ars: tamen eloquentiæ vis non tota ab arte dimanat, sed plura ad eam conficiendam & perficiendam accedere est necesse. Quæ autem sint ista integro libro demonstrabitur, in quo de caussis eloquentiam conficiētibus, disputabimus. Hanc positionem hæc Crassi luculenta confirmat sententia: Sed siue ars, siue artis quædam sit similitudo, non est quidem ea negligenda; verum intelligendum est, alia quædam ad consequendam eloquentiam esse maiora: cui assensus est Antonius: qui alio loco, eadem de re quid sentiret his verbis expressit. Inter ingenium quidem & diligentiam perpaullulum loci reliquum est arti: ars demonstrat tantum vbi quæras, aut vbi sit illud, quod studeas inuenire: reliqua sunt in cura & attentione animi. Et quoniam per has positiones quid in hac disputatione tenendum sit, satis perspicuum esse arbitror, postremam par- Libro 1. de Ora. Libro 2. de Ora.

tem progrediar, in qua aduersariorum argumenta dissoluenda sunt.

Sexta pars, in qua afferuntur, ac soluuntur rationes pugnantes contra ea, quæ posita sunt.

OMNES *fere rationes, quæ probant rhetoricam a numero artium reijciendam esse a Fabio afferuntur: quas, si vt diligenter collegit, ita etiam bene confutasset, nihil esset necesse, cur nos hunc laborem susciperemus: sed, cum in earum solutione, interdum optimus dicendi magister deficiat, interdum vero erret, hæc disputationis huiusce pars præteriri non debuit, in qua si quid ipse prætermisit addere curabimus. Omnes autem rationes reducentur ad duo capita, in quorum primo ponentur argumenta sumpta a natura & caussis artis: in altero vero argumenta ducta ab effectis.*

Cic.li.1. de Ora. *Prima ratio a loco, definitionis Ars, vt supra docuimus, est, quæ constat rebus cognitis, penitusque perspectis, & nunquam fallentibus, certa nimirum ratione comprehensis; atqui rhetorica huiuscemodi rebus non constat, cum oratores tractent res incertas, dubias, populares, quarum nulla potest esse firma perceptio, nullaque certa ratio: igitur a numero artium excludenda erit. Huc etiam*

pertinet

pertinet quod apud Ciceronem ait Antonius; artem esse earum rerum, quæ sciuntur: ea autem, quæ orator nouit, sola opinione, & quidem valde infirma, continentur: igitur. Qua ratione hoc argumentum soluendum sit, satis patet ex sexta positione. Nam, si spectemus præcepta, quæ in hac arte ad bene dicendum traduntur, ea sunt certa, & nunquam fallentia, & ab artifice certa cognitione comprehenduntur. Si vero res, quæ oratione explicantur, concedimus eas esse varias, incertas, & errori expositas, quod est huic arti cum multis alijs commune; & maxime, cum philosophia morali: quæ si consideretur, vt ad vsum refertur, magnam, vt Aristoteles scripsit, incertitudinem habet. Nec id mirum videri debet, cum omnes fere artes, si earum vsum spectes, circa res singulas versentur, quæ mutationi sunt subiectæ: Lib.2.de Orat. Lib. 1. Ethic. cap.3.

Secunda ratio, quæ sumitur a caussa materiali: omnes artes habent aliquam certam, ac definitam materiam, qua continentur, & in qua versantur, vt omnes, qui de arte scribunt, affirmant: at rhetorica, nullis certis est inclusa cancellis, vt docet Cicero; & vt Aristoteles scripsit, nullius est determinati generis: qui igitur fieri potest; vt sit ars; Libro 1. de Ora. Libro 1. Rhe.c.1. & 2.

cum nihil certum atque definitum, quod tractet, & in quo versetur, habeat? De hac argumentatione disputatione septima late dicemus: nunc breuiter eam sic dilueres, si concesso eo, quod sumitur, negares complexionem: quoniam, licet non habeat materiam certis finibus comprehensam, habet tam aliquam materiam: alias enim etiam dialectica ab artium numero esset excludenda, cum in hac parte sit rhetoricæ persimilis.

Arist. li. 1. rhet. cap. 1.

Tertia ratio, a fine: rhetorica nullum certum videtur habere finem, cum diuersarum caussarum diuersi sint fines; & si quem unum habet, ipsa est persuasio: verum, cum hic finis sit in manu fortunæ positus, & incertus, & sæpe optimi oratores eo non potiantur, non poterit certam artem constituere, cum quæuis ars potissimum a fine pendeat. Quinctilianus facile ab hac ratione sese extricat, cum existimet huius artis finem, esse apte dicere ad persuadendum, quod est quid certum, & in manu boni oratoris positum. Nos autem, qui aliter de fine huius artis opinamur, ita respondemus: fatemur quidem finem esse persuadere; sed negamus in omni artium genere finem debere esse huiusmodi, vt semper acquiratur, vt accidit in omnibus artibus, quæ coniectura nituntur: sed de hac re plura infra cum, de fine disputabitur.

bitur. Huc pertinet alia ratio, quā dicitur, eas eſſe artes, quæ ſciunt, quando finem ſuum fuerint conſecutæ: quod rhetorica ignorat; cum Orator quid dicendo effecerit, neſciat. Quinctilianus diceret, Oratorem optime poſſe intelligere, an apte & bene dixerit: nos dicimus, poſſe ſcire ex effectis, an perſuaſerit. Adde etiam quod id ſcire, non eſt arti intrinſecum.

Quarta ratio, a cauſſa efficienti: de his, quæ a ſola natura habentur, nulla eſt, aut eſſe poteſt ars, cum ea, quæ ſola vi naturæ fiunt, certa quadam ratione fiant, nec in eis errare contingat, vt in videndo, guſtando, & audiendo: atqui hominem dicere, accuſare, & defendere, eſt a natura, vt Ariſtoteles ſcribit: & Cicero paſſim ait eloquentiam eſſe naturalem, igitur. Eſt quidem ſermo a natura, eſt etiam quædam eloquentia naturalis: ſed tamen non omni ex parte perfecta, & abſoluta, vt ijdem citati auctores docent, quæ arte, & præceptis polienda fuit. Licet ergo natura, quibuſdam præſertim hominibus, maxima huius artis initia tribuat, vt alio loco planius explicabitur; tamen perfectam dicendi facultatem tribuit nemini: quod de omnibus etiam artibus, quarum ſemina habentur a natura, affirmares.

Libro 1. Rhe c. 1.

Libro 1. de Ora.

Quincta ratio, quę ad hunc etiam locum pertinet, de ea re, quam potest ita bene exercere, is qui eam non didicit, vt is, qui didicit, vi naturæ bonitate, saltem exercitatione, & vsu, quo intelligendi prudentia, acuitur, & eloquendi celeritas incitatur, nulla debet esse ars; cum ars sit doctrina, quæ præceptis, & rationibus constat: atqui multi absque doctrina, & dicendi præceptis, sola exercitatione & vsu apte & idonee ad persuadendum dicunt, vt experientia ipsa commonstrat in circulatoribus, & multis concionatoribus, qui sine præceptis in concione apte dicunt: nulla igitur erit recte dicendi ars: sed potius dicendi facultas, & vsu, & exercitatione continebitur. Hac Libro 1. de Ora. *ratione vsus est Carneades, quam Antonius apud Ciceronem refert. Fatemur quidem in vsu & exercitatione naturalis eloquentiæ vim esse aliquam: concedimus quosdam, qui præcepta non didicerunt, apte dicere, quod negare videtur Quinctilianus, qui tamẽ affirmat, quod perfectius id facerent; si præcepta tenerent; sed negamus non potuisse fieri artem; vel præcepta non esse necessaria: cum re vera, ars conflata fuerit; & qui artem tenent multo facilius, expeditius, & sine errore de quauis proposita re dicant, quam qui arte carent: & cur recte & idonee dicant, videant; quod ij*

non

non vident, qui ſunt artis expertes, vt ſuo loco, cum de arte agetur, accuratius explicabitur.

Sexta ratio, quæ ad eundem locum refertur; nihil ex arte fit, quod eſt ante artem: atqui omnibus temporibus, antequam vlli eſſent dicendi magiſtri, multi extiterunt, qui eleganter & apte dicerent, vt ex M. Tullio libro de Claris oratoribus cognoſcere licet: vbi multos percenſet, tùm ex Græcis, tum ex Latinis eloquentes viros, qui antequam vlla data eſſent bene dicendi præcepta, in dicendo excelluerunt: igitur, cum ante omnem artem, eloquentia floruerit, non pendebit ab arte. Quinctilianus fatetur multos ante huius artis ſcriptionem extitiſſe, qui bene dixerint; ſed eos oratores fuiſſe, & tanquam oratores bene dixiſſe negat: neque enim, ait ipſe, quiſquis loquitur orator eſt, niſi arte factus ſit Orator. Hæc reſponſio non omni ex parte placet: quoniam ſi orator eſt is qui bene dicit, ſiue arte, ſiue ſine arte id efficiat, orator appellandus erit. Nos igitur concedimus aliquos naturæ bonitate & conſuetudine dicendi, obſeruationeque aliqua, ante artis confectionem, & ſcriptionem ornate dixiſſe, ſed cum difficultate, & non ſine errore. Ars igitur id præſtitit, vt facultas quæ arte carebat, certa, expeditaque

redde-

redderetur. Et vt rem planius exponam, qui antequam ars scriberetur, aliqua ratione recte dicebant, non carebant aliqua artis obseruatione; & ita Isocrates, qui ad artem conficiendam se tradidit, iam dicendo, quæ ad bene dicendum conferrent, obseruauerat. Carebant igitur illi scriptis præceptis, sed obseruationem tenebant aliquam; ob quam melius, quam alij dicebant.

Septima ratio, quæ videtur sumpta ab artis officio: aut ista ars docet ea, quæ dicenda non sunt, & tunc ars censenda non erit, cum ars ea docere non debeat, quæ dici non possunt: aut ea, quæ dicenda sunt; sed cũ ista docere nequeat, ni etiam doceat, quæ dici non debent, cum ea sit artium natura, vt contraria tractent, etiam non dicenda docere debebit, quod est ab artis officio alienum: quare, quidquid dixeris, capiaris oportet. Hæc captiosa, & cornuta argumentatio ijs molesta videri poterit, qui volunt rhetoricam esse virtutem; nobis autem nullum facessit negotium. Quinctilianus ab hac argumentatione sese extricat, dicendo hanc artem nunquam præcipere non dicenda nec dicendis contraria, sed solum, quæ in vnaquaque caussa dicenda sunt. Nos ita diluimus, Rhetorica, ex se suaq; natura ea docet, & præcepit, quæ ad bene dicendum conferunt, & ad persuadendum

dum sunt accommodata: demonstratque, quid in dicendo cauere debeamus, vt facit etiam medicina, dum ea docet, quæ valetudinem conseruant, & quæ valetudini aduersantur. Quid autem oratori non solum ornate, sed etiam honeste dicere volenti, ne quid peccet, si bonus vir haberi velit, sit faciendum, non docet: sed hoc docere, ad philosophiam quæ mores tractat, & ad prudentiam, pertinet. Sicuti architectura docet qua ratione domus construenda sit: at quæ ædes bonum ciuem, & hunc, vel illum hominem deceant, non docet, nec docere debet. Aliȩ rationes quæ sequuntur, videntur sumptæ ab effectis.

Octaua ratio: rhetorica demonstrat quo pacto affectus permouendi sint, quod a quibusdam in vitijs ponitur: at id docere, quod vitiũ est, nullam continet vtilitatem: igitur rhetorica non erit ars; cum ars debeat esse ad aliquem finem humanæ vitæ vtilem. De hac argumentatione plura dicemus, cum de permouendis affectibus instituta fuerit disputatio, nunc dicimus affectuum, permotionem non esse sua natura malam, quidquid Stoici contra disputent. Lege Lactã. Fir.

Nona ratio, nulla ars vtitur mendacio ad suum finem consequendum, cum mendacium sit ex se malum; & malo, seu vitio non possimus ad aliquem finem consequendum vti: igitur.

Quod

Quod hæc ars mendacio vtatur, multi dicendi magistri docent, idque licere existimant. Redegit hæc ratio Quintilianum in angulum, atque ita eum compressit, vt concesserit licere oratori vti mendacio, cum etiam id sapiēti liceat: negat tamen, id cum honestate pugnare, si iustis de caussis fiat. Nolo hic longum de mendacio, multa ex Philosophia & Theologia repetēdo, texere sermonem; dicam igitur breuiter. Primū, ita mendacium sua natura est malum, vt nūquam,

Quinct. li. 12. c. 1. *etiam si pro optimis caussis dicatur, sua malitia spoliari queat: Quo fit, vt hac in parte multi, qui contra senserunt, turpiter, ac grauiter errauerint, in quem errorem viri, alias bene docti,*

Au. Gel. *lapsi sunt; putantes ob aliquas grauiores caussas licere mentiri; vt, ob ciuitatis conseruationem, pro regno amplificando, & vita tuenda: Cum tamen id quod est ex se malum, nulla ratione possit esse ratio efficiendi honestum. Quare*

Lege D. Baſ. homil. ad pueros. Cic. li. 1. Offic. *contraria sententia tanquam verissima, & religioni consentanea, constanter retinenda est. Deinde, si mendacij vsus in humanam societatem introducatur, potius est idoneus ad eam euertendam, quam conseruandam: cum ex se tollat fidem, qua omnis humanus continetur, ac conseruatur cœtus: & ob mendacij vsum introducta est iusiurandi consuetudo, ne dicam abusus. Postea, Quintilianus secum pugnat,*

dum

dum rhetoricæ, quam virtutem eſſe putat, & oratori ſuo, quem virum bonum eſſe vult, id quod turpe eſt, tribuit. Et denique, ne longum faciam, ad allatam rationem breuiter dici ipſam dicendi artem nunquam mentiri, nec mentiendi rationem docere. Quod ſi qui oratores mendacio vtuntur, id non arti, ſed artifici tribuendum eſt: quamuis poſſit eſſe optimus orator etiam is, qui mendacio vtitur: quod dum facit, non contra artem, ſed contra bonos mores peccat. Quod ſi Fabius, vel aliquis alius rhetoricorum ſcriptor, docet qua ratione mendacia tractari, & adumbrari queant; non debes exiſtimare id eſſe huius artis munus, ſed artificum errore fieri.

Decima ratio: nulla ars eſt ſibi contraria, cum ars ex ijs conſtare debeat, quæ inter ſe maxime cohærent, vt ſupra docuimus; atqui per eandem dicendi artem videmus oratores cauſſas contrarias defendere; & huius artis vim in hoc poſitam eſſe, vt doceat vtramque in partem dicere: Qui igitur ars appellari poteſt, cum ſecum pugnet, ſeque ipſam deſtruat? Quinctilianus, primum ait, ibi non eſſe rhetoricam, vbi iniuſta cauſſa ſuſcipitur: & ita concedere videtur eſſe aliam rhetoricam a virtute diſiunctam: & addit ex admirabili caſu contingere, vt ex vtraque parte Ora-

te Orator, ideſt vir bonus, dicat: confitetur tamen id in rerum naturam cadere. Ait deinde hanc argumentationem etiam eos vrgere, qui dicunt rhetoricam non eſſe virtutem: & aliam adhibet ſolutionem, dicendo artem non ſecum pugnare, ſed eos, qui arte vtuntur. Nos breuiter dicimus, oratorem poſſe contrarias cauſſas agere; & vnum oratorem cum alio interdum pugnare: idq; per eandem, qua præditi ſunt dicendi artem. Nec tamen inde ſequitur artem eſſe ſibi contrariam, ſecumq; pugnare: ſed ij qui arte vtuntur ſunt inter ſe contrarij. Sicuti duo milites, eadem arte militari præditi, inter ſe dimicant. Adde etiam, quod hæc facultas de ijs eſt rebus, de quibus licet in vtramuis partem probabiliter diſſerere.

Ariſtot. li. 1. Rhetor. c. 2.

Vndecima ratio: nulla ars opus quod efficit, diſſoluit, & deſtruit, alias enim vana ac inutilis eſſet, nec emolumentum, ſed potius detrimentum humanæ vitæ afferret: verum rhetorica id, quod effecit, deſtruit; cum idem orator, qui rationes ad aliquid probandum attulit, eaſdem ſoluat: rhetorica igitur non erit in artibus ponenda. Negat Fabius oratorem argumentum a ſe poſitum diſſoluere, quamuis, quod certius, ac melius eſt ſuadeat; quod non eſt constructa deſtruere, cum quod eſt certius, non ſit minus certo contrarium. Sed, ni fallor, non ſatis bene

bonus

bonus dicendi magister allatam argumentationem destruit. Etenim oratores interdum quę probauerant non facta, facta fuisse demonstrãt: & quod probauerant esse vtile, probant esse inutile. Itaque non solum diuersa & dissimilia, sed etiam pugnantia, destruendo, docent. Negamus igitur id, quod in argumento sumitur, nullam artem suum opus destruere; cum nulla alia facultas, vt aliquando dixit Cicero, melius aliquid euertat, quã ea, quę illud fecit; vt ipsa experientia docet: quod sane de rhetorica, & dialectica speciatim fatendum est; cum sint facultates, quę vtramque in partem disputant.

Duodecima ratio: contra nostram opinionem obijci solet, Ciceronis opinio, quam Crassus, & Antonius hanc quęstionem diligenter examinando aperuerunt, concludentes non esse artem, sed solum habere quandam artis similitudinem. Qua ratione horum grauissimorum hominum sententia accipienda sit, patet ex ijs, quę in penultima positione diximus: quare nihil est, cur in huius rationis solutione plura a nobis dicantur. Et per hęc huic parti, & propositę disputationi satis factum sit. Nunc, in quo artium genere reponi debeat, dispiciendum est. Lib. 1. & 2. de or.

In

In quo artium genere rhetorica ponenda sit. Disputatio VI.

Prima pars, in qua proponuntur ea, de quibus agendum est, & vna explicatur artis diuisio.

RHETORICAM *in artibus ponendam esse, ex proxima disputatione satis perspicuum esse arbitror: sed cum varia sint artium genera, alia enascitur dubitatio, quo nam in genere collocari debeat; Quod hac disputatione a nobis explicandum est: quam, cũ sit aliquanto longior, in quasdam partes, facilitatis caussa, distribuemus. Primum, afferemus eam artis diuisionem, quæ in cognitionem, & actionẽ diuidi solet: deinde explicabimus quid actio, & effectio significent, & quo pacto inter se differant: postea docebimus qua ratione artes perfectæ & in coniectura positæ inter se distinguantur: præterea non nullas alias artium diuisiones breuiter aperiemus: ad hæc, quæ sint animaduertenda ad artem aliquam in suo genere collocandam demonstrabimus: postea quibusdam positionibus huic difficultati satisfaciemus: tandem quasdam dubitationes soluemus.*

Quod igitur ad primam partem attinet, ars apud bonos, probatosque auctores, & speciatim
1ª part. *apud Ciceronem & Aristotelem in duo dispertitur*

titur genera: quorum alterum eas complectitur artes, quę ſola cognitione ſunt contentæ, quę proprie loquendo, ſcientię, nominātur. Quæ in hoc genere cōtinentur, a Gręcis θεωρητικαί, a M. Tullio, artes cognitionis, cogitationis, & contemplationis vocantur: vulgo, contemplatiuæ. Huius generis eſt Metaphyſica, quæ vim naturamq; diuinam tractat: Phyſica, quæ res naturales conſiderat: Aſtrologia, Geometria, & id genus aliæ. Alterum genus earum eſt artium, quæ non ſunt ſola cognitione contentæ, ſed ad aliquid agendum, vel efficiendum referuntur: quas Græci πρακτικάς, Latini, actionis artes, vel actiuas, & actuoſas, vocant. Vt ſunt ars ſaltandi, canendi, pingendi, & harum ſimiles. Ratio huius diuiſionis hæc eſt; quoniam cum artes ſint inſtitutæ ad dirigendas ac perficiendas humanas operationes, quarum alię ſunt quibus cognoſcimus, aliæ quibus operamur; & rerum quas cognoſcimus aliæ a nobis efficiantur, alię vero non item; ideo duo etiam erunt artium genera. Et quoniam earum operatiunum, quæ ad agendum referuntur, alię ſunt, quarum perfectio pendet a bene affecta voluntate, & a prudentia morum, quæ eſt honeſte agendi regula; aliæ vero non a bene conſtituto animo, rectoq; cōſilio, ſed ſolum a quadam recta ratione,

Libro 1. Offic.

G quæ

quæ nō patitur eū qui agit in ipso opere errare, siue opus sit honestū siue non: hinc est, qđ artes, quæ ad efficiendum referūtur in duas distribuū tur partes. Prioris generis operationes, quę pro prie loquendo, actiones nominantur, diriguntur a philosophia ethica, & a virtutibus morū: posterioris vero, quæ effectiones nuncupantur, ab habitu artis. Quo fit, vt ea facultas qua dirigit actiones morum græce πρακτικὴ, latine, actiua, seu actionis; quæ vero alias operationes, græce ποιητικὴ, latine ars effectionis, vulgo factiua dicatur. Artium effectionis, aliæ sunt, quæ sola operatione perficiuntur, vt sunt omnes illę, quæ post operationem nullum relinquunt opus ab arte factum; vt ars canendi, saltandi, & loquendi; ob quam caussam interdum actiuę nominari solent: alię vero, quę operando efficiūt aliquid, & hæ speciatim artes effectionis dicuntur; quas Lib. 6. Ethic. *Aristoteles, artem definiendo, solum spectasse videtur. Itaque, artium aliæ sunt cognitionis, aliæ operationis; & harum, aliæ actionis, aliæ effectionis. Vel, vt alij diuidunt, dicamus tria esse artium genera, aliud cognitionis, aliud actionis, quo nomine continentur omnes artes, quæ agendo nihil efficiunt, aut post operationem relinquunt; aliud effectionis, per quod artium genus aliquod extat opus.*

Secun-

Secunda pars, in qua explicatur, quid agere & facere apud Græcos & Latinos significent.

VT *hęc prima artium diuisio, apud scriptores sępe repetita, & a multis non satis bene explicata, & intellecta, melius intelligatur, quid apud Gręcos* πράκτειν, *&* ποιεῖν, *& apud Latinos agere, & facere significent, & inter se differant, aperiendum est: & quæ latissime de hac re dici possent, in pauca conferam, ea solum attingendo, quæ proxime ad nostrum institutum pertinent. Apud scriptores Græcos,* πράκτειν, *eorum proprie esse dicitur, quorum finis in agendo, non est aliquod opus, quod post ipsam operationem remaneat: vt patet in saltatione, cantu, & locutione: vbi post functionem nullum extat opus. At vero* ποιεῖν *eorum esse dicitur, quorum finis est aliquod opus: vt patet in arte pingendi, & fabricandi: in quibus, vt Aristoteles scripsit, melius est opus, quam operatio ipsa.* Lib. 1. Eth.c.1. *Hoc esse horum duorum verborum discrimen, colligere licet ex Aristotele libro sexto de moribus ad Nicomachum,* Cap.4. *& ex libro primo magnorum moralium,* Cap.33. *vt multa alia eiusdem auctoris loca, & alios scriptores missos faciam.* Galen. Bas. Bud. *Agere, & facere apud Latinos diuersas habere significationes ex multis locis apud Ciceronem* Lib. 2. de Ora.

 cogno-

Lib. 2. de orat. *cognoſcere licet; qui ſæpe hæc duo verba ad res diuerſas ſignificandas coniunxit; vt cum dixit: Quæ fiunt, quæque aguntur: & alio* Libro 2. Acade. quæſt. *loco, loquens de artibus, ait: Quarum omne opus eſt in faciendo, atque agendo. Inter hæc duo verba id diſcriminis poſuit M. Varro, vt agere de ijs tantum rebus dicatur, quæ materia carent; facere vero de ijs, quæ materia conſtant: quæ tamen differentia non eſt perpetua; cum facere iniuriam recte dicamus, agere vero minime. Verbum agere, ſi proprie loqui velimus, reſpondet verbo græco, πράττειν, & ea agere dicuntur, quæ poſt operationem nullum relinquunt opus. Facere autem reſpondet verbo, ποιεῖν, & de his proprie dicitur, quæ ita efficiunt, vt poſt effectionem aliquod extet opus: & quod Græci dicunt, ποίησις, aliqui latine dicunt, fa-* In Top. *ctio, ea fortaſſe de cauſſa, quod Cicero aliquando dixerit, teſtamenti factionem; ſed melius dicitur, effectio: cum factio, apud bonos auctores, fere ſemper in malam capiatur partem. Et quoniam inter actiones, nobiliſſimæ ſunt eæ, quæ a conſilio & deliberata ratione proficiſcuntur; hinc eſt quod iſtæ priuatim, & magis proprie actiones nominantur. Quo modo intelligendus eſt Ariſtoteles libro ſexto Ethico. capite ſecundo, in*

principio, cum ait; Sensum nullius actionis esse principium, idest nullius actionis moralis, & studiosæ: alias enim falsum esset Philosophi dictum, cum etiam sensus sit alicuius actionis origo. Eodem etiam modo libro secundo Physicæ auscultationis locutus est; vbi explicans discrimen inter casum & fortunam, ita scribit: Fortuna enim & quod a fortuna est, in ijs inest, in quibus, & fortunatos esse (in hominibus scilicet, qui ex consilio & deliberatione agunt) inerit, & omnino actio. Tex. 57. & 58. *Hinc est, quod apud Græcos πρακτικὸς, dicitur is, qui est actuosus, et ad agendum idoneus. Fatendum tamen est, tum verba Græca, tum Latina apud bonos scriptores sæpe confundi, & indifferenter vsurpari. Nam Plato in Gorgia vno, vel altero loco de medicina dixit, πράττειν.i.agere, cum potius efficiat. Aristoteles et lib. 1. de moribus paulo post principiũ et lib. 1. de Physica auscultatione, alijsq; in locis πράττειν, pro ποιεῖν, dixit. Et lib. 2. Ethico sub initiũ, ποιεῖν, pro πράττειν, posuit. Cicero etiam, agere et facere sæpe promiscue vsurpauit: vt lib. primo de Oratore, & libello de Senectute, & alijs in locis: quorum omnium locorum verba huc afferre possem, sed breuitatis caussa prudens prætermitto. Et vt etiam illud adnotauerim, sæpius apud Græcos, πράττειν, pro ποιεῖν, & apud Latinos*

facere, pro agere, vsurpatur quam contra. Et vt hanc secundam disputationis partem, & primam artium diuisionem concludamus, artium, aliæ sunt τεωρετικαὶ, idest contemplationis, aliæ πρακτικαὶ, idest actionis aliæ ποιητικαὶ, idest effectionis. In quo autem genere ponenda sit rhetorica, postea dicemus.

Tertia pars, in qua explicatur alia artium diuisio; qua alia perfecta, alia coniecturalis dicitur.

IN *hac tertia huius disputationis parte alia artium diuisio maxime ad rem nostram accommodata, qua sæpe in hisce nostris disputationibus vtemur, nobis aperienda est. Artium ergo, quæ in actione versantur duo sunt genera: aliæ sunt, quas Græci ὁρισμένας, non latine, certas & nunquam fallentes, aut, vt non nulli loquuntur, perfectas appellare possumus: vt sunt, quæ certis, & nunquam fallentibus rebus ad suos fines consequendos, nituntur. Vt est ars conficiendi fræna, ædificandi domos, texendi, & harum similes. Aliæ sunt, quæ non aliqua certa & nunquam fallente ratione, sed quadam animi coniectura ad suos fines consequendos, vtuntur, quas Græci στοχαστικὰς vocant: nos latine, in coniectura positas, & coniecturales appellamus. Huius generis sunt medicina, agricultura,*

cultura, ars nautica & militaris. Dicuntur hæ artes στοχαστικαί, *idest coniecturales, metaphora sumpta ab arte iaculandi; cum* στοχάζεσθαι *græce, idem sit, quod latine, collimare. Quoniam, sicuti ars iaculandi non habet certam, & nunquam fallentem rationem, qua sagittam in scopum dirigat, scopumque attingat; ita, neque huius generis artes ad suos fines nunquam fallente ratione perueniunt. Omnibus artibus tam certis, quam incertis illud est commune, vt quibusdam præceptis, siue regulis, ac instrumentis, ad finem consequendum vtantur: sed tamen inter artes prioris & posterioris generis sunt non nulla discrimina omnino animaduertenda. Differunt itaq; primo, quod in artibus certis, finis est opus ipsum: vt in arte pingendi, imago: in arte ædificandi, ædificiũ: in statuaria signum, & sic de alijs. In coniecturalibus vero, finis nõ est opus ipsum, sed aliquid aliud præter opus. Quo fit, vt medicinæ opus non sit, sanare, cum interdum etiam ij, qui non sunt arte medica imbuti, sanent: sed opus medici est apposite curare ad sanandum, & nihil quod ad valetudinem instaurandam conferat, prætermittere: quod qui arte carent in toto genere præstare minimè possunt. Doctrina est Aristotelis, M. Tullij, et Galeni, vt multos alios missos faciã auctores. Finis ergo medicinę est sanare, ad*

Alexan. Aphrodis. in Top. Aristot. li. 1. Rhetor. c. 1.

Plato.

re, ad cuius consecutionem, non solum ea, quæ ex arte adhibentur, sed multa alia requirũtur; veluti temporis oportunitas, bonus ægrotantis habitus, temporũ ratio, & non nulla alia adiuncta. Idem de arte nautica dicas, quæ præter nautæ peritiam, ad perducendam nauim in portum, non nulla alia desiderat; vt trãquillum mare, & ventos idoneos. Ex hoc primo discrimine natũ est secundum, quod artium perfectarum opera casu fieri nequeunt: nemo enim vel nauim, vel signum, vel imaginem fortuito efficiet; licet Valerius Maximus de quodam pictore referat, qui spumas, quas ad equi nares artis industria fingere non potuit, spongia varijs coloribus imbuta, tabulæ illisa, casu effinxit: imperfectarum vero fines temere, & siue arte acquiri interdum possunt. Constat enim artis medicę rudes, aliquãdo sanare, & ignaros militaris disciplinę victoria potiri. Id autem ex eo fit, vt diximus, quod huiuscemodi facultates, non solum a peritia et prudentia, quę vnicuiq; arti est propria, sed etiam a præsidijs externis, & incertis, ad suos fines consequendos nitantur. Verum, is, qui artem tenet, multo facilius, et certius, ac proinde sępius finẽ assequetur, quam artis ignarus. Et hinc tertium oritur discrimen, qđ in artibus perfectis, quarum fines sunt opera ipsa, fines sunt in potestate artificum; ita vt non solum qñcunque voluerint,

Libro 8. cap. 9.

luerint, possint prȩclare suo munere fungi, quod est omnibus artibus cõmune, sed etiam finem ipsum adipisci. At vero in artibus, quæ coniectura nituntur, quia fines non sunt ipsa opera, res aliter habet: quoniam, etiam si quis optime suo munere functus fuerit, non continuo finem assequetur: cum præter artis vim, quędã alia extrinseca, & incerta requirãtur præsidia. Potest itaque optimus pictor semper, si artem adhibeat, pulcherrimam imaginem formare: optimus vero medicus, etiam si ea omnia, quæ ex arte sunt adhibenda, adhibuerit, non semper, ob allatam rationẽ, ægrotum sanabit. Ex quibus quarta consurgit inter has artes differẽtia, quod in artibus perfectis, seu certis finis perpetuo respondet ijs, quæ ex arte fiunt, seu officio, quo artifex præclare vsus fuerit, siue præceptis ex arte adhibitis: neque enim fieri in hoc artium genere potest, vt artifex omnia adhibeat, & finẽ non cõsequatur: At vero in altero genere, etiã si finis sit semper artifici propositus, & omnia quæ ars efflagitat, artifex præstiterit, non propterea semper proposito fine potietur. Quo fit, vt quidam non τέλος. i. finem, sed σκόπον, id est, propositum appellãdum esse dicant. Postremo, illud inter hæc duo artium genera est discriminis: quod in artibus perfectis opera ipsa satis aperte demonstrant, an ab artifice omnia, quæ ex arte ad bonum

opus

Galen. Libro 9. de decr. Hippo. Lege Ba sil. hom. 1. in hexamer.

opus efficiẽdum requiruntur, fuerint adhibita; cum harum artium opera a bonitate artificis; non a fortuna pendeant: bonum autem artificẽ eum voco, qui artem optime calleat. Et ideo bonum pictorem appellamus eũ, a quo affabre, & perbelle imago fuerit picta: eum vero malũ, qui rudem & inelegantem imaginem effinxerit. At vero in artibus coniecturæ, non a fine proposito artificis præstantiam, sed ab officio & opere, quod in eius potestate situm est, spectare debemus: & ideo is perfectus putandus erit nauta, qui omnia ex arte fecerit, vt nauim incolumem in portum duceret: licet id ei non successerit: idem de medico, & de oratore, alijsq; similibus artificibus dicas. Ex his intelligi licet, cur quidam existimauerint artes coniecturales non esse definiendas ex fine; quod non semper illum assequantur: quorum sententia, vt postea dicam, non est necessaria: & cur quidam recentiores duos in his artibus excogitauerint fines, alterum intrinsecum, alterum vero extrinsecum, vt in disputatione de fine planius dicetur. Atque de hac diuisione hactenus.

Quarta pars, in qua afferuntur nonnulla alia artium diuisiones.

V T *hunc de artium diuisione sermonem, in quo fuse lateque si permitterem, calamus excurre-*

currereт, in pauca conferam, in hac quarta parte breuiter non nullas alias, (multis alijs omissis) artium diuisiones attingam. Artium aliæ sunt sermocinales, quæ sermonem tractant, vt est grammatica: aliæ rationales, quas Græci λογικὰς vocant, quæ non simplici narratione, sed etiam ratiocinatione vtuntur. Rursus, artium aliæ sunt, quæ in vna tantum re versantur, & vnam tantum subiectæ quæstionis partem sumant, ac probant, vt est ea, quæ demonstrationem docet: aliæ vero, quæ in vtranque partem disputant, & ad vtramque partem probandam, vel improbandam sunt paratæ: quæ a Græcis δυνάμεις, id est, facultates vocantur: ea enim proprie appellatur facultas, quæ in vtranque partem potest, & non magis ad vnã, quam ad aliam est terminata; cuiusmodi sunt dialectica, & rhetorica; quæ ambæ in vtranque partem disserunt; sed tamen longè diuersa ratione, & ad diuersum finem, vt postea dicetur. Item, artium aliæ sunt necessariæ, sine quibus humana vita, seu consociatio conseruari nõ posset, vt est agricultura: aliæ vtiles, vt sunt omnes illæ quibus humana vita commodius conseruatur, vt nautica, textrina: aliæ voluptariæ, quæ solum ad voluptatem referuntur, vt ars saltandi, & multæ aliæ, quas luxus excogitauit. Item, artium aliæ sunt, quæ liberales nomi-

Arist. li. 1. Rhet. cap. 1.

Disp. 8.

nominantur: aliæ quæ mechanicæ. Liberales illæ censentur, quæ sunt libero & ingenuo homine dignæ, quæ non quæstus caussa discuntur & tractantur, & eiusmodi sunt, quæ adhuc discerentur, etiam si quis inde nullum speraret lucrum: in quo genere est architectura, musica, grammatica, & harum similes. Mechanicæ vero, quæ solum quæstus gratia exercentur, quo remoto, nihil habent, cur in eis cognoscendis opera ponenda sit: vt ars fabrilis, sutoria, tabernaria, & ceteræ omnes, quas ignobiles & sordidi homines exercent. Verum, si quis deprauatos hominum mores spectet, nullam profecto inueniet artem, quæ iam mechanica non sit facta, cum artes etiam nobilissimæ in hunc solum finem ab hominibus discantur, vt lucrentur, vt ditiores fiant; non vt animum illis exornent, eisq; honeste, liberaliterque vtantur. Itaque omnes fere artes de suis corruptoribus, ne dicam professoribus, iure queri possent, quod eorum culpa sordescant, nomen ac dignitatem amittant, & a sua dignissima sede, ad infimum deturbentur locum. Hæc, an vera sint, quis est, qui non videat? Quis est qui non animaduertat? Ex eo igitur quod omnes artes factæ sunt venales, enatum est illud grauissimũ, & perniciosissimum totius reip. humanæ detrimentum, vt nulla ingenua ars, nullaq; scientia

plane

plene discatur, non grammatica, non rhetorica, non iurisprudentia, non medicina, non philosophia, nulla denique alia, vt quanto citius fieri potest, ad sordidum lucrum, & ad vanos honores perueniatur. Sed non est hic de hac grauissima lue, latius lamentandi locus. Denique, ne plures prosequamur artium diuisiones, artiũ aliæ sunt quasi aliarum dominæ, quas Græci ἀρχιτεκτόνικας vocant, quæ principem locũ tenent: vt in tota ratione ædificandi ea, quæ architectura nominatur, quæ alijs vtitur, easque dirigit. Aliæ quasi aliarum administræ, vt ars, quæ lateres coquit, carpentaria, & aliæ, quæ principi, in ædificijs construendis, seruiunt. Omitto itaque hoc loco alias minus necessarias artium diuisiones, & maxime eas, quas in Gorgia attulit Plato, de quibus fortasse alibi. Atque hæc de artiũ diuisionibus dicta sufficiant: ad aliã ergo transeamus huius disputationis partẽ.

Quincta pars, in qua docetur quid sit necessarium ad hoc, vt aliqua facultas in aliquo artis genere ponatur.

EXPLICATIS *varijs artis diuisionibus, sequitur, vt quæ sit ratio, cur hæc, vel illa facultas, in hoc, vel illo genere cõstitui, atque collocari debeat, aperiamus. Vt ergo ad quodnam genus quamcunque artem reuocare liceat, intelligatur, eius finis ad quem sua natura refertur,*

spectan-

spectandus est. Quo loco diligenter cauere oportet, ne artis scopum eum esse existimemus, quem homines vel utilitate, vel libidine ducti, in aliqua arte sibi proponunt, sed eum, vt diximus, ad quem sua natura ars refertur, & quẽ propositum habet. Alias enim si hominum studia spectarentur, artes cognitionis fierent actionis; & actionis cognitionis: & sordidæ in liberales, & liberales in sordidas migrarent. Potest enim quispiam theologiam ad lucrum referre; & philosophus moralis, vel architectus posset esse sola cognitione contentus. Illud etiã animaduertendum est, quod licet in artibus cognitionis sint quædam, quæ proxime actionem, seu vtilitatem spectare videntur, vt in Geometria figurarum descriptio; & contra in artibus effectionis, siue actionis, quædam, quæ sola cogitatione attinguntur, vt in philosophia quæ mores tractat, cognitio partium, proprietatumq; virtutis; tamen, vt in quo genere ars aliqua ponenda sit, dispiciamus, tota spectanda erit, & a toto eius genere, & a fine materiaq; subiecta, tractandique ratione, de ea iudicium ferendum erit. Etenim, in omni fere arte, aliquid actionis, & cognitionis reperire licet: vt patet in mathematicis apud Euclidem, cuius theoremata ad cognitionem, problemata vero ad effectionem pertinere videntur. Ceterum, quod est

actio-

actionis in artibus cognitionis ad cogitationem, & quod eſt cognitionis in artibus actionis ad actionem referendum eſt. Itaque, tum ex fine ipſo, tum ex toto genere, ſeu ex materia ſubiecta, atque tractandi ratione, quod ſit cuiuſque artis genus conſiderandum eſt. Antequam autem huic parti finem impono, non nullas opiniones ad hanc diſputationem ſpectantes, paucis adijciam. Fabius hanc diſputationem leuiter attingens, exiſtimauit rhetoricam poſſe reponi in triplici artium genere, videlicet, in genere cognitionis, actionis, & effectionis. Quidam alij exiſtimarunt eam ſegregandam eſſe ab artibus rationalibus, & reijciendam eſſe inter ſermocinales. Alij denique aliter de genere rhetoricæ exiſtimarunt, vt ex ſecunda & tertia diſputatione intelligi licet.

Lib. 2. cap. 18.

Rodolphus. Pet. Ra.

Sexta pars, in qua varijs poſitionibus explicatur, quid in difficultate propoſita ſentiendum ſit.

PRIMA *poſitio: Rhetorica non eſt in genere artium cognitionis. Eſt hæc poſitio contra Quinctiliani ſententiam, qui eam in hoc genere reponi poſſe exiſtimauit. Noſtra autem opinio primum probatur ex ijs, quæ diſputatione quarta ſcripſimus; vbi docuimus non eſſe ſapientiã, vel ſcientiam, vt ſane eſſet, ſi in hoc genere reponeretur: cum illæ artes propriè ſcientię dicantur,*

cantur,

cantur, quæ sola cognitione contentæ sunt. Deinde, artis genus, vt paullo ante docuimus, ex proprio fine, & ex toto genere perpendendum est: atqui huius artis finis est persuadere, vel, vt Quinctiliano placet, apte dicere ad persuadendum; quod in actione consistit: & si vniuersum eius genus spectemus, nihil, aut certe parũ contemplationis habere videbimus, & siquid est, totum ad actionem refertur: igitur. Postremo, ex Fabij sententia, necessario sequeretur, eum nos posse oratorem appellare, qui sola esset cognitione contentus, & nullas caussas in foro ageret; quod cum M. Tullij sententia multis in locis pugnat. Nihil igitur est, cur tantum huic arti tribuamus, vt eam in hoc artium genere collocemus.

Libro 1. de Clar. Orator.

Secunda positio: Rhetorica, proprie loquendo, non est ars effectionis. Est hæc positio contra eundem Fabium, qui aliter existimauit; ea motus ratione, quod Oratores suas soleant orationes scribere: nostra autem sententia his firmis nititur fundamentis. Primo, effectionis artes illæ censentur, quæ post ipsam operationem aliquod relinquunt opus, vt ex iam dictis, & ex communi omnium sententia satis aperte constat: at facultas oratoria post ipsam operationem nullum opus relinquit, sicuti nec ars canendi, & differendi: non erit igitur sub hoc artium

genere

genere ponenda. Deinde, poteſt eſſe perfectiſſimus orator is, qui nihil vnquam ſcribat, ſed ſit ſola cauſſarum actione contentus: erit igitur rhetorica perfecta abſque vlla effectione: & ita Fabij fundamentum ruit, ac proinde etiam eius opinio, quæ valde infirma innititur ratione. Et vt rem hanc planius explicemus, fingamus Ciceronem, dum ſuas orationes conficiebat, nunquam adhibuiſſe calamum, & poſtquam eas in foro egit, noluiſſe poſteritati tradere; nunquid, ſi ſe ita geſſiſſet, ſummi ac perfecti oratoris nomen amiſiſſet? haudquaquam. Cum itaque ſcriptio nihil ad huius artis perfectionem pertineat, non poterit eſſe ratio, cur inter artes effectionis collocetur.

Tertia poſitio: Rhetorica inter artes actionis reponenda eſt. Cum dico eſſe artem actionis, ſiue practicam, accipio nomen actionis, vt ſignificat eam operationem quæ nõ relinquit aliquod opus poſt ipſam effectionem, non autem vt ſolum ſignificat operationem, quæ a conſilio & deliberata ratione proficiſcitur, vt ſunt actiones honeſtæ. Eſt hæc poſitio certiſſima: quoniam cum omnes artes ad illa tria reuocentur genera, & in duobus alijs generibus, vt iam demonſtratum eſt, non ſit ponenda, ſequitur profecto, vt in iſto ſuam ſedem habeat: id quod, nec Quinctilianus negat. Dicatur itaque ſimpliciter

ars actiua, siue practica, nec ad plura reuocetur genera, cum in vno tantum genere, cuiusque rei natura, vt philosophi tradunt, collocari debeat.

Quarta positio: Rhetorica est ex numero earum artium, quæ coniectura nituntur. Hæc positio est adeo certa ex ijs, quæ in tertia parte adnotauimus, vt nulla sit necessaria confirmatio. Planum enim est, eas omnes proprietates, quas artes in cõiectura positas habere diximus, rhetoricæ conuenire: cum eius finis non sit in rhetoris potestate situs: & ad eum consequendum multis extrinsecis egeat præsidijs: & denique ij etiam interdum persuadeant, qui non sunt hac arte præditi. Certum itaque maneat non esse inter artes certas & perfectas reponendam.

Quincta positio: Rhetorica non solum dicẽda est ars sermocinalis, sed etiam rationalis. Quoniam, cum eius finis sit persuadere, & persuasio solis enthymematis, atque probationibus gignatur, necessario debet esse rationalis facultas. Adde etiam, quod eius primum officium est fidẽ faciendo docere, quod rebus & rationibus fit: alterum est hominum animos mouere, motus autem potissimum amplificationibus, quæ a locis argumentosis sumuntur, fiunt. Quare, cum rhetorica non solum in sermone ornato, rationem

Arist. li. 1. Rhet. cap. 2.

confor-

conformandæ orationis explicando, vt aduersarij dicunt, sed etiam in ratiocinationibus, per quas priuatim suum attingit finem, versetur, non est censenda simpliciter ars sermocinalis, sicuti Grammatica, quæ solam sermonis congruitatem considerat. Huc facit; quod initio suæ rhetoricæ dixit Aristoteles, omnes homines dialecticæ & rhetorices esse participes, quod omnes aliquò vsque & exquirere, & rationem reddere, defendere, atque accusare aggrediantur: quę duo posteriora munera rhetorices propria, sine ratiocinatione, præstabit nemo. Huc etiam facit, quod idem auctor ait, solam Dialecticam, & Rhetoricam de contrarijs ratiocinari. Lib. 1. cap. 1. Lib. 1. cap. 1.

Sexta positio: Rhetorica est ex earum artiũ numero, quæ facultates dicuntur. Docet enim in vtramque partẽ disputare: sed de hac positione plura in vltima huius libri disputatione dicã. Plato in Phędro.

Septima positio: Rhetorica in artibus liberalibus est numeranda. Positio est certissima, quam latissime probabo, cùm de huius præclarissimæ artis dignitate agãm.

Octaua positio: Rhetorica est ars maxime vtilis, vel etiam maxime necessaria in humana rep. Hæc veritas hoc loco simpliciter posita, alibi probabitur.

Postrema positio: Rhetorica est ars instrumentaria, qua ars politica vtitur ad bene remp.

gerendam. Hoc docuit Aristoteles, qui cum
Cap.2. *in primo Ethico dixisset scientiam ciuilem esse facultatem quandam architectonicam, dixit artem militarem, & oratoriam esse sub ciuili collocatas, eique inseruire. Sed hac de re alio loco disputabitur latius.*

Septima pars, in qua proponuntur, ac soluuntur non nullæ dubitationes.

VT igitur quæ supra posuimus, & probauimus adhuc confirmentur magis, quæ contra nostras positiones dubitationes fieri possent, eas in hac postrema parte explicabimus.

Prima dubitatio, oratori, vt nos inferius probabimus, subiecta sunt omnia quæstionum genera, in quibus continentur quæstiones infinitæ, & quæstiones cognitionis, vt si quæratur, an mundus sit habiturus interitum, an ortum habuerit, an Deus rerum caducarum procurationem habeat, & id genus aliæ, quę sola cognitione attinguntur: ergo rhetorica, saltem ex parte, erit cognitionis ars. Hanc argumẽtationẽ refelleres, si cõsecutionẽ negares. in eo enim orator a philosopho differt, quod ea quę cognoscit, ad actionẽ refert: & quę didicit ornata et copiosa oratione ad populũ explicat. Cum ergo orator omnia quæ cognoscit ad agẽdũ referat, vis oratoria, nõ cognitionis, sed actionis ars cẽsenda erit.

Secunda dubitatio, perfecta eloquentia potest esse in eo, qui nullam in foro orationem habeat, quod profecto negaret nemo, cum possit quispiam omnes huius artis partes perfecte cognoscere, & tamen a foro abstinere. Si ergo sine actione potest reperiri perfecta, in sola cognitione consistet. Si quicquam hæc argumentatio probaret, certe concludere liceret, omnes facultates esse cognitionis artes; cum in omni artium genere reperiri aliqui possint, qui sola cognitione sint contenti: atqui iam diximus, non hominum voluntates, sed artis naturam spectandam esse, vt quo in genere collocanda sit, videamus. Quid? quod oratori nullam caussam agenti, id, quod in oratore summus orator, summum putauit, actio nimirum, deesset. Quare, si quis eloquentiam in animo inclusam tenere vellet, eius plane naturam peruerteret, & mancam mutilatamq; redderet: nec numerandus esset orator, vt prima disputatione decreuimus.

Tertia dubitatio; contingere potest, vt orator, vel sponte, vel fortuna, cesset ab agendo; & tamen ex sua arte vtilitatem, voluptatemque capiat, vt Quinctilianus ait; ex quo illud confici posse putat, vt vis oratoria in numero artium cognitionis reponatur. Neque enim quispiam eum, quem diximus oratorem, suo nomine priuaret: sicuti nec eum qui artem pin- Lib. 2. cap. 18.

gendi didicit, aliquis negaret esse pictorem, dum somnum capit. Leuis est obiectio, & facile ex dictis soluitur: quia non tam is, qui artem habet, quam artis naturam spectare debemus, quæ eiusmodi est, vt ad actionem referatur. Ergo, vel iste non esset appellandus orator; vel, si placet, appelletur, sed ea de caussa, quia aliquando dixit: quod sufficit ad demonstrandum artem oratoriam in sola cogitatione, vel, vt Quintilianus loquitur, inspectione, non sistere. Adde etiam, quod eadem ratione probarem omnes mechanicas facultates esse artes cognitionis.

Quarta dubitatio, qua probatur esse artem effectionis: orationum ac historiarum scriptionem ad solos oratores pertinere, nemo negabit Libro 1. de Ora. *vnquam, idque Cicero non vno in loco apertissime docuit: at scriptio est effectio: cum post scriptionem aliquod remaneat opus: erit igitur oratoria facultas effectionis ars. Non imus inficias, eos solos, qui sunt eloquentia ornati, posse recte historias, & orationes scribere: verum eloquentia non est in hunc finem comparata, vt quæ dixerit, scribendo posteritati tradat; sed, vt caussas in foro agat. Quod, vel ex eo patet, quoniam qui orationes, vel historias scribunt, & in lucem forensem non veniunt, a numero* Cic. in Bruto. *oratorum excluduntur: qui vero agunt, & non scribunt, inter oratores numerantur. Quare,*

re, licet orator ad posteritatis vtilitatem, lectionisque commoditatem, ea quæ dicit, scribat: tamen non continuo efficitur, vt inter effectionis artifices ponendus sit; cum sine vlla effectione perfecte suæ artis munus expleat. Sed esto oratorem non posse plene suo officio fungi, ni aliquid scripserit; non propterea fateri cogar oratoriam vim esse factionis artem. Siquidem in scribendo duo animaduertere possumus, & compositionem rei, quæ scribitur, & ipsam literarum formationem. Primum, dicam esse oratoris, & solam actionem includere: alterum esse effectionem, & ad librarium pertinere. Ex his itaque non solum eleuatur, sed etiam penitus eneruatur Quinctiliani ratio.

Quincta dubitatio: inter caussas, quibus eloquentia comparatur, est exercitatio, quæ styli vsum requirit, cum stylus sit optimus dicendi effector; verum, styli exercitatio est effectio Cic. lib. de Ora. *quædam: non poterit igitur aliquis sine effectione esse perfectus orator. Fatemur equidem styli vsum esse valde vtilem ad eloquentiam comparandam: tamen non est simpliciter necessarius; cum sine scriptione possit aliquis in dicendo sese exercere. Adde etiam, quod illa effectio, quæ in styli exercitatione reperitur, ad actionem, sicut linearum & fi-*

gurarum formatio in Geometria, ad cognitionem refertur. Quare, licet ad eloquentiam comparandam opus esset aliqua effectione: tamen postea quam fuerit acquisita, sine vlla effectione exerceri potest.

Sexta dubitatio: Poetica est ars factionis, vt ipsum nomen apertissime demonstrat, cum ab efficiendo, nomen acceperit: igitur & rhetorica; cum vtraque sit eloquentia quædam, & in sermone versetur. Expedita est huius dubitationis solutio: nec enim est necesse vt poetica sit ars effectionis, quamuis ab efficiendo sic nominetur: cum verbum, efficio, & ago pro eodem interdum sumantur. Et si quis quod sumptum fuit concederet, non propterea consecutionem admittere cogeretur: neque enim est par ratio de poetica, & oratoria facultate. Nam illa sua poemata scribere debet, vel vt ab alijs canantur, vel vt legantur: quo fit, vt, cum quæ poeta composuit, per se non agat, opus sit vt ea scribat, vt ab alijs agantur, & vt posteritati tradantur.

Denique, vt multas alias dubitationes studiosis iuuenibus excogitandas relinquamus, orator dicendo gignit in animis auditorum persuasionem: efficit igitur aliquid. Hanc rationem breuiter dilueres; si negares persuasionem proprie loquẽdo, efficere, et opus quod relinquit esse

se quid materiale, cuiusmodi est illud opus, quod ab arte effectionis post operationē relinquitur.

Atque de hac disputatione, & de ijs omnibus quæ ad explicandam rhetoricæ formam nobis dicenda erant, hactenus. Vt autem quæ fuse lateque disputata sunt, in pauca conferamus, maneat firmum rhetoricam non esse virtutem, sed artem, non cognitionis, vel factionis, sed actionis, non certam sed in coniectura positam, rationalem, vtilem, vim quandam libero homine dignam, & ciuili scientiæ subiectam.

De materia rhetorices, Disput. VII:

Prima pars, in qua explicatur huius disputattonis titulus.

AD aliam itaque rhetoricæ facultatis caussam explicandam aggredientes, de materia, quę est formę cognata, atque post eam maxime rei naturā attingit, sermonem habebimus. Et quoniam hæc etiam disputatio est aliquanto longior, ideo ne longitudo fastidium & obscuritatem pariat, eam in aliquot partes hoc ordine secabimus.

Primum, huius disputationis titulum declarando, quid nomine materiæ intelligi debeat, expli-

explicabimus: Deinde varias sententias cum suis fundamentis explanabimus: deinde non nulla fundamenta ad huius quæstionis explicationem necessaria ponemus: Postea aliquibus positionibus quid tenendum sit, decernemus: denique, aliquot dubitationes enodabimus.

Quod igitur ad primam partem attinet, nomine materiæ in præsentia, per catachresim, id est per abusionem, intelligimus id, in quo omnis ars, & facultas, quæ conficitur ex arte, versatur: quam ars tractat, & in qua explicanda est occupata. Vt si medicinæ materiam dicamus morbos, ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur. Itaque quibus in rebus versatur ars & facultas oratoria, eas, eius materiam, quam nunc inuestigare volumus, nominamus. Dialectici, quod in arte tractatur, materiam, subiectum, obiectum, similitudine a sensibus sumpta, rem consideratam, subiectam materiam, & genus appellant. Quærimus ergo quid nam sit illud, quod rhetorica, sibi tractandum cognoscendumque proponit. Nomine autem rhetoricæ possimus intelligere, vel artem, quæ præcepta bene dicendi tradit, vel ipsam eloquentiam, quæ & præceptis & rerum cognitione constat, & oratione ornata, atque copiosa res apud homines exponit: quæ duæ facultates, vt sæpe diximus, inter se multum differunt:

Cic. li. 1. de Inuē.

ſerunt: & quid de vtraque ſentiendum ſit, hac diſputatione explicabimus. Et, vt illud, antequam opiniones referam, monuerim, omnes fere qui hac de re diſſerunt, potius materiam eloquentiæ, quam artis aſſignare videntur: atq; de ea quidem pręcipua eſt dubitatio. Tractarunt hanc quęſtionem olim omnes dicendi magiſtri. inter quos maxima fuit hac de re diſſenſio: M. Tullius in Sermonibus de Oratore non vno in loco, & ſpeciatim in tertio, hanc diſputationem examinauit: Quinctilianus libro ſecundo, capite vigeſimo primo, vbi non nullas ſententias recenſet: quas nós in ſecunda parte nunc fideliter exponemus.

Secunda pars, in qua exponuntur variæ auctorum de re propoſita ſententiæ.

VARIAS *de materia rhetorices opiniones relaturus, ab ea initium capiam, quę nullam huic arti propriam tribuit materiam. Duo itaque hęc opinio affirmat: alterum rhetoricam in omni materia verſari; alterum nullam propriam habere materiam. Qui hanc opinionem docent, ita ratiocinantur: rhetorica nullam habet definitam materiam, igitur nec propriam: & ideo, vt ait Fabius, artem circumcurrentem appellabant.* Lib. 2. cap. 21.

Secunda opinio fuit eorum, qui dixerunt ſermo-

sermonem, seu orationem ornatam esse huius artis materiam: quam opinionem his rationibus confirmares. Primum ex Gorgiæ sententia: is enim, vt est apud Platonem, rhetoricam in sermone versari asseuerauit. Accedat etiam auctoritas M. Tullij, qui sermonem ornatum tanquam oratoris proprium, ad nullum alium artificem spectare non vno in loco docet: vt cum ait, Oratorem suum nomen sine eloquentia, idest sine ornata oratione retinere non posse: & alio loco, Oratio, inquit, ipsa propria est huius vnius rationis de qua loquimur, & quærimus. Idem docere videtur, cum res omnes Philosopho & Oratori communes facit, & eos hac vna re distinguit, quod alter ieiune & exiliter, alter vero varie, copiose, & eleganter scribit. Oratio igitur composita, & artificio ornata, expolitioneq; distincta, erit propria oratoris materia. Deinde, cum certum exploratumque sit rhetoricam esse artem actionis, & eius actionem in dictione, hoc est in oratione positam esse: colligitur profecto eam esse artem sermocinalem, in quo cum grammatica, & poetica conuenit; ac proinde in sermone, tanquam in propria materia versabitur.

In Gorg.

Lib. 2. de orat.

Lib. 1. de orat.

Tertia sententia fuit quorundam Græcorũ, vt ex Cicerone colligimus; cuius etiam libro

Li. 1. de Inuen. Cap. 21.

secundo

secundo meminit Fabius, qui existimarunt quęstiones ciuiles esse rhetoricæ materiam: quę opinio his rationibus confirmatur. Primo auctoritate grauissimorum hominum, qui eam secuti sunt: ita sensit Dionysius Halicarnassæus: Libro 1. *Hermogenes, qui agens de huius artis materia* part.rhe *solam quæstionem ciuilē finiuit: Consultus Chi-* tor. *rius, Ariston, Theodorus Gadaręus, Albutius, Trapezuntius, Rodolphus Agricola, & multi* Lib. 5. *alij, quos breuitatis caussa omitto. Deinde ex* cap. 18. *omnium rhetorum doctrina, omnia quæ huic arti subijciuntur, ad tria genera caussarum reuocantur; videlicet, ad genus iudicij, deliberationis, & laudationis: atqui sub his generibus solum continentur ciuiles quæstiones; vt ex eo perspicue intelligi licet, quod, quæ ad hæc tria genera pertinent, vel in foro, vel in senatu, vel apud populum, & in concione tractantur: erit igitur rhetoricæ materia sola ciuilis quęstio. Adde etiam, quod quęstiones cognitionis & infinitę solum pertinere videntur ad Philosophiam, quę in sola rerum vniuersarum cogitatione consistit.*

Quarta sententia fuit eorum, qui existimantes rhetoricam esse virtutem, dixerunt eius materiam esse humanam vitam: alij vero pressius, aliquam tantum vitæ partem, vt refert Fabius.

Quincta

Quincta opinio videtur fuisse Cornelij Celsi, qui hanc artem solum in rebus dubijs, tanquam in propria materia versari existimauit; vel, vt alij dixerunt, in argumentis persuasibilibus.

Sexta opinio, quę hominum animos, seu animorum motus, in quibus tractãdis tota vis oratoria est occupata, eius materiam facit. Cui sententię hæ rationes suffragantur. Initio, Plato In Gorgia. In Phę. *scriptum reliquit oratores in hominum animis tractandis esse occupatos: idem eandem esse dixit medicinę & eloquentię rationem. Nam, vt medici subiecta materia est humanum corpus, in quo curando & conseruando suam artem exercet; ita oratoris, hominum animi, in quibus tractandis est occupatus; & vt medicus in corporibus affectis medendo sanitatem efficit; ita orator in animis dicendo persuasionem gignit. Et M. Tullius aliquando scripsit,* Lib. 3. de orat. *verbis & sententijs animos ab Oratore, non secus ac neruos a fidicine tractari: Alias, dixit eloquentię esse copiose apteq; in hominum animos nouas opiniones inserere, & insertas* In Phę. *euellere. Huc accedit, quod Plato, & passim Gręci scriptores, orationem, ψυχαγωγὸν, quod animos quoquo velit, ducat, &, oratorem, δημαγωγὸν, a ducendo populo, nominant. Et M. Tullius verbum gręcum ex quodam antiquo poeta exponens, eloquentiam; Flexanimã, nomi-*

nominauit: & quidam alius bonus poeta græcus, loquens de eloquentia, dixit, ἡ πειθὼ τύραννος τῶν φρενῶν, ideſt, perſuaſio mentium tyrannus. Euripides.

Septima opinio docet materiam oratoris eſſe tria cauſſarum genera: Ita Cicero in primo de Inuentione libro, vbi reiecta Gorgiæ Leontini ſententia, hanc ſequitur; ſed in eo errauit, vt poſtea planius explicabitur, quod Ariſtotelem in hanc opinionem traxerit: & paucos inuenies, qui in hunc errorē non lapſi fuerint: non animaduertentes, quid re vera Ariſtoteles ſenſerit.

Denique, ne plures opiniones proſequar, Gorgias, de quo paullo ante mentionem feci, exiſtimauit, res omnes, quæ in quæſtionem venire poſſunt, eſſe eloquentiæ materiam: quam opinionem in matura ætate amplexus eſt, & pugnaciſſime defendit Cicero: idem proculdubio ſenſit Ariſtoteles, idem Quinctilianus, idem etiam Hermogenes, & omnes ij, qui hac de re ſubtilius diſputarunt, & quæ ſit eloquentiæ natura, acutius viderunt: Quam ſententiam, tanquam veriſſimam, nos retinendam eſſe paullò poſt docebimus.

Cæterum, quænam ſit Ariſtotelis ſententia, apud ſcriptores, non ſatis conſtat, cum alij hunc grauiſſimum auctorem, in vnam, alij in aliam

opinio-

opinionem trahant. Nam M. Tullius, vt dicebam, existimauit de Aristotelis sententia, tria caussarum genera esse rhetoricę materiã, non autem res omnes: quem multi secuti sunt. Iacobus Zabarella vir nostra ætate scriptorum monumentis illustris, quęstiones ciuiles pro subiecta materia rhetoricę assignat: atque in hãc opinionem etiam Aristotelem trahit. Huic auctori, Antonius Riccobonus humanarum literarum in Gymnasio Patauino publicus professor, & in rhetoricis Aristotelis versatus, in suis adnotationibus sese opposuit: atque de Aristotelis sententia, defendit, omnes quęstiones esse huic arti subiectas. Idem M. Antonio Mureto affirmanti quęstiones cognitionis non pertinere ad oratorem, aduersatus est. Atque de opinionibus hactenus.

Lib. 1. de natura Log. capit. 17.

Tertia pars, in qua ponuntur non nulla fundamenta ad explicandam propositam quæstionem.

EXPLICATIS *ergo aliorum sententijs, quid in tanta opinionum varietate nobis magis ad veritatem accedere videatur, quibusdam fundamentis aperiendum est.*

Primum fundamentum, multæ sunt conditiones, quas Dialectici in subiectio alicuius artis, vel scientię necessarias esse arbitrantur: sed nos, cum nolimus subtilius hac de re disserere,

duas tantum attingemus, quæ maxime ad noſtrum inſtitutum pertinent: quarum altera eſt, vt ſubiecta materia complectatur omnia, quæ in arte tractantur; ita vt nihil in arte tractetur, quod aliqua ratione ad hanc materiam non pertineat, ac referatur: altera vero, vt artem illam a ceteris artibus diſtinguat, eiq; vnitatem tribuat. Id, per quod efficitur, vt, ſubiecta materia, ars aliqua ab alijs ſeparetur, a Dialecticis ſolet appellari, ratio formalis; quę nihil aliud eſt, quam quidam modus, quo res illa a tali arte conſideratur: ſed rem paullo obſcuriorem aliquo illuſtremus exemplo. Tres ſunt artes, quæ aliquo pacto ſermonem tractant, Grammatica, Rhetorica, & Logica: ſi ſpectemus id, quod conſideratur, idem eſt in omnibus his tribus artibus, nimirum, humanus ſermo; ſi vero rationem, ſiue modum, ſecundũ quem de ſermone agũt, eſt diuerſus: a qua diuerſa ratione hæ tres inter ſe diſtinguuntur artes. Nã Grammatica conſiderat ſermonẽ congruũ: in hoc enim potiſſimum laborat, vt congrue loquendi canones tradat: Rhetorica ſermonem ornatum: Logica autẽ ſermonẽ verũ. En igitur vt de vna eademq; re tres agunt artes; quę tñ, ob diuerſam agendi rationem, inter ſe diſtinguuntur. Verum, de harum artiũ conuenientia & diſcrimine ſuo loco accuratius. Habes etiam pla-

num ſimile de homine, de quo Philoſophus naturalis agit, vt eſt mutationi ſubiectus; medicus, vt eſt ſanitatis, & morbi capax: at vero Philoſophus moralis, vt eſt ad beatitudinem factus. Habes etiam apud Quinctilianum exemplum de varijs artibus, quæ in ære varie tractando occupantur.

Secundum fundamentum, Dialectica & eloquentia, vt vere docuit M. Tullius, ſunt quaſi duæ famulæ & ancillæ ſapientiæ: ita enim ſcribit: Sunt autem aliæ quaſi miniſtræ comitesq; ſapientiæ: quarum altera, quæ ſint in diſputando vera, atque falſa: quibus poſitis, quid ſequatur, diſtinguit & iudicat: quæ virtus omnis in ratione, ſcientiaque diſputandi ſita eſt: altera autem oratoria. Nihil enim eſt aliud eloquentia, niſi copioſe loquens ſapientia: quæ ex eodem hauſta genere, quo illa, quæ in diſputando vberior eſt, atque latior, & ad motus animorum vulgiq; ſenſus accommodatior. Sapientia itaque vtitur dialectica ad res cognoſcēdas, & certo ordine tractandas; eloquentia vero ad eaſdem res oratione illuſtrandas, et populariter dicendas. Ex quo intelligi licet, has duas artes, ſi earum vſum ſpectemus, nullo certo genere contineri, vt non vno in loco docuit Ariſtoteles. Quoniam, cum ſint ſapientiæ adminiſtrę, & ſapientia per omnia rerū genera, per

In part.

Li. 1. rhetor. c. 1. & 2.

humana

humana ſcilicet & diuina, vagetur, neceſſarium profecto eſt, vt etiam eius comites, eaſdem rerum omnium regiones peragrent. Hinc patet vnum maximum diſcrimen, quod eſt inter has duas facultates, & cęteras omnes artes: quod hæ nullam certam habent regionem in qua verſentur, nullis ſunt incluſæ cancellis; aliæ vero intra certos continentur terminos. Sunt itaque hæ duæ maximæ artes inter ſe antiſtrophæ, ſimiles nimirum, & ſibi reſpondentes, & quaſi duæ ſorores, nullis incluſæ terminis, ſed ſuam dominam Sapientiam ſequuntur quocunque perrexerit; eique diuerſo famulatu inſeruiunt. Quo fit, vt ij longe a veritate aberrent, qui cum dialecticæ res ſubijciant omnes, eloquentiæ non item: cum omnia, de quibus illa probabiliter diſſerit, hæc ornate, & copioſe & ad ſenſum popularem accommodate dicat. Ariſtot. li. 1. Rhetor. c. 1. & 2.

Tertium fundamentum: oratio, qua veluti quodam inſtrumento orator ad ſuum munus exequendum, finemque obtinendum vtitur, ex duobus conſtat, rebus nimirum, ſiue optimis ſententijs, & ſelectis verbis: quorum ſi alterum abſit, profecto non erit ad perſuadendum idonea. Neque enim ſermo cenſetur oratorius, niſi ex ijs iam dictis confletur partibus: & qui optimas ſententias a ſelectis ver- Cic. li. 3. de Orat.

bis, & ab ornatu, vel verba a sententijs separare volunt, ipsam orationem destruunt: non secus, ac si quis corpus ab anima, vel animam a corpore segregare contenderet: & qui illud primum facerent, infantes; qui vero alterum stulti a Cicerone appellarentur. Optimis itaq; sententijs & selectis verbis siue ornatu, oratorius indiget sermo. Sententias accipit ab alijs artibus & scientijs, ornatum vero ab arte dicendi. Orator ergo qui est vir dicendi peritus ex singulis artibus, eas sententias accipit, quas iudicat ad persuadendum accommodatas; & ab arte dicendi rationem ornandi, & amplificandi sententias. Hinc fit, vt toto errent cœlo, qui putant se posse a magistris dicendi, presertim huius temporis, perfectam discere eloquentiã, cum ab eorum doctrina rerum cognitionẽ, qua non sunt prediti, haurire nequeant. Illi etiã errant, qui in solis philosophorum scholis absolutam ac perfectam sapientiam, sine rhetorũ præceptis se consequi posse arbitrantur. Hoc acutissime vidit, & eleganter exposuit M. Tullius cũ hanc præclarissimam sentẽtiam literis commendauit: Ad has tot, tantasq; res adhibenda sunt ornamenta innumerabilia; que sola tum quidem tradebantur ab ijs, qui dicendi numerabantur magistri. Quo fit, vt veram illam & absolutam eloquentiam, nemo consequatur: quod alia intelligendi,

Cic. in Orat.

In orat.

ligendi, alia dicendi disciplina est; & ab alijs rerum, ab alijs verborum doctrina quaritur. Et hinc enata est magna altercatio inter Philosophos & Sophistas, quod ij, dum ornandæ orationis præcepta traderent, se etiam Philosophiam & res ipsas docere profiterentur: quorum docendi rationem in Gorgia vehementer insectatur Socrates. Ex his quæ diximus duo colliguntur: alterum, oratorem plenum atque perfectum debere esse præditum rerum cognitione, & arte expoliendæ conformandæque orationis: illam accipit a scientijs, hanc ab arte rhetorica: Alterum, aliud esse quærere de materia subiecta eloquentiæ, idest copiose ornateque loquentis sapientiæ, cui, vt postea docebimus, omnes res subijciuntur, quæ sint ornata oratione explicandę; aliud quærere de materia subiecta arti, quę solum bene dicendi præcepta tradit: quæ certas quasdam, ac terminatas res complectitur; cum bene dicendi leges sint certo numero contentæ: vt sequenti fundamento explicatius dicetur.

Quartum fundamentum: rhetorica, vt est bene dicendi ars, in eo sita est, vt rationem tradat, qua oratio apta ad persuadēdum confici queat: sicuti Grammatica canones præscribit, quibus congrue loquamur; ac proinde eius

materiam, congruam orationem esse diceres: atque etiam simili ratione arti rhetoricæ pro materia, ornatum sermonem tribueres. Seiungimus autem hoc loco sermonem a rebus ipsis, in quibus explicandis versari potest, & solam orationis concinnitatem, elegantiam, dispositionemq; consideramus. Et quoniam oratio est veluti quædam fabrica, & quoddam (vt ita dicam) corpus, quod ex varijs membris, ac partibus conflatur; & suas habet formas, siue species, proprietates, & affectiones, ac denique vsum; hinc est, quod ars dicendi in oratione explicanda, construenda, vsuque ipsius tradendo, varia, atque diuersa debet exercere munera. Quare, sicut is, qui domum ædificaturus est, debet prius multos, varios, ac idoneos lapides conquirere, & conquisitos secernere: & secretos suis locis, dum ædificat, collocare, & dum collocat, exornare; ita etiam rhetor orationis construendæ rationem daturus, debet prius rerum, & verborum inueniendorum, regulas tradere; tum eorũdem collocandorum modum præscribere, ac tandem quo pacto oratio ex rebus & verbis conflata exornari debeat, docere. Et quoniam id apte & idonee efficere nequit, ni varia dicendi genera, & varias orationis formas explicet; ideo de quæstionum, orationũ, et dicendi idearũ, deq; generibus

affectio-

affectionum orationis, agit. Ad hęc, cum oratio, vt dicebamus, sit veluti quoddam corpus, præter materiã, quæ sunt res et verba, & pręter ornatum, qui est veluti forma, habet ẽt suas partes, & membra, de quibus rhetor varia præcepta tradere debet. Cęterũ, cum hęc facultas ad agendum referatur, non solum construendę orationis viam indicare, sed etiam, quo pacto facile memorię mandari, ac congruenter pronuntiari possit, docere debuit. Ex quibus nascitur, vt omnia quę in hac arte tractantur, vel ad ornatam orationem conficiendam, vel ad eandem habendam referantur: ex quo intelligi potest, cur subiectam rhetoricę materiam ornatum sermonem esse dixerimus, cũ tota in eo explicando, & tractando versetur. At vero si de eloquentia, quæ est vis atque facultas copiose, ornate, apte, sapienterq; dicendi, loquamur, alia ei assignanda est materia, & de hac potissimum dubitatur, vt ex opinionibus allatis cognoscere haud obscure licet. Quęritur ergo, an eloquentia aliquam certam ac pręfinitam habeat materiam: exempli gratia quęstiones ciuiles, humanam vitam, vel aliquid aliud certis terminis inclusum, an vero res omnes: quod vt apertius intelligatur, aliud subijciam fundamentum.

Quintum fundamentum: is cẽsendus est orator, vt suo loco copiose demonstrabitur, qui sit

omnium rerum cognitione ornatus, optimorum verborum copia diues, dicendique artificij non ignarus: vnde fit vt orationem optimis sententijs instructam, lectissimisque verbis conformatam, res subtiliter inueniendo, & apte collocando, artificioseque exornando conficiat, qua, rem quamcumque propositam explicet, & explicando auditoribus persuadeat. Quare, si materiam ex qua suum opus conficit spectes, dices esse res, seu sententias, & verba: si vero id, quod dictione & oratione explicandum suscipit, dices esse res omnes; cum de rebus omnibus, & quidem in vtramque partem eleganter & copiose dicere, oratoris sit proprium. Si vero spectemus id, quod dicendo efficere conatur, nimirum persuasionem, seu id, in quod persuasionem gignit, affirmare licebit eius materiam, in quam suæ dictionis effectum introducit, esse hominum animos, quos dicendo tractat, & quo vult impellit.

Denique, vt huic parti finem imponamus, animaduertendum est, quod, cum materiam alicuius facultatis inquirimus, possumus, vel totam, & vt dialectici loquuntur, adęquatam materiam quærere, vel potissimam & præcipuam, eam videlicet, in qua potissime ars versatur. Et quoniam oratores bona ex parte in quęstionibus ciuilibus tractandis sunt

occu-

occupati, hinc factum esse puto, vt multi hanc cis materiam priuatim subiecerint, & in hac explicanda laborauerint. Atque his iactis fundamentis, non nullas positiones statuamus.

Quarta pars, in qua varijs positionibus ad difficultatem propositam respondetur.

Ex *his ergo quæ adnotata sunt has positiones colligere, ac facile demonstrare possumus. Prima positio: Rhetorica, siue pro arte, siue pro eloquentia sumatur, aliquam habet materiam. Est doctrina apud omnes certissima, & ex dictis satis manifesta: & cum in eas omnes rhetores conueniant, nihil est quamobrem aliqua ratione probari debeat.*

Secunda positio: Falsum est rhetoricam non habere propriam materiam, licet nullam habeat certam rem, in qua versetur. Nam, vt acute disputat Fabius, qui contra sentiunt, secum pugnant, & suo se ferro iugulant: quoniam, dum rhetoricæ materiam assignant, necessario fateri debent, esse ei propriam, qua a ceteris artibus distinguatur.

Tertia positio: si rhetorica sumatur pro arte, quæ bene dicendi præcepta docet, habet pro materia ornatā orationem. Patet hæc positio, inprimis, rationibus supra allatis pro secunda

senten-

sententia. Deinde ex his quæ diximus in quarto fundamento, vbi non solum hæc positio explicata, sed etiam probata fuit: cum docuimus rhetorem omnia quæ docet, huc referre, vt ornata conficiatur, & habeatur oratio. Postremo, quoniam si artem dicendi ab ipsa eloquentia separes, nihil profecto poteris ei subijcere, nisi sermonem, in quo poliendo & exornando versatur: sicuti grammatica in eodem congruè tractando.

Quarta positio: Materia eloquentiæ in qua dicendo versatur, non sunt tantum quæstiones de rebus dubijs, & incertis non amplius tractatis. Hoc affirmamus contra quinctam sententiam superius citatam. Nam, vt recte scripsit Fabius, Lib. 3. cap. 5. *aliquando res certissimæ ab oratore tractantur: vt cum laudantur quæ sunt manifeste honesta, & vituperantur, quæ apertissime sunt turpia. Cicero etiam aliquando docuit,* In part. *in laudatione & vituperatione nulla necessario opus esse argumentatione, ad aliquam rem dubiam confirmandam; sed in hoc genere, certa pro certis posita, augeri, & auditorum animi leniter tractari. Quod si ea, quæ laudantur, ad quæstionem reuocari solent, id fit, vt longe melius, quid sit id, quo tota oratio referenda est, intelligatur.*

Quincta positio: materia eloquentiæ non est

aliqua

aliqua humanæ vitæ pars, vel tota humana vita, aut quæſtio ciuilis. Hæc poſitio eſt contra tertiam & quartam ſententiam, quas falſas eſſe demonſtrabo ex ijs, quæ in probatione ſeptimæ poſitionis dicam.

Sexta poſitio: ſi tria genera cauſſarum ita accipiantur, vt nomine cauſſæ intelligatur ſolum quæſtio finita, & actionis, quo modo omnes fere accipiunt ſcriptores, non ſunt materia eloquentiæ. Quoniam, vt alio loco late demonſtrabo, etiam quæſtiones cognitionis & infinitæ oratori ſubiectæ ſunt. Confirmabitur rurſus hæc poſitio, ex ijs, quæ in confirmationem ſequentis poſitionis afferam.

Septima poſitio: eloquentiæ materia nullo certo rerum genere continetur, ſed ei ſubiectæ ſunt res omnes: ita vt eius materia ſit quæſtio de quacunque re propoſita. Hæc poſitio his rationibus confirmatur. Primum auctoritate grauiſſimorum hominum, ac meliorum ſcriptorum: ita exiſtimauit Gorgias oratorum antiquiſſimus: idem etiam Hermagoras, vt ex eius verbis concludit Quinctilianus. Plato in Phædro eandem ſententiam per Socratem expreſſiſſe videtur, cum dixit, rhetoricam verſari in publicis priuatiſq; congreſſibus, in magnis & paruis rebus. Eius diſcipulus Ariſtoteles idem apertiſſime docuit, cum definiens rhetoricam

Quinct. libro 2. cap. vlt.

Lib. 1. cap. 2.

cam dixit, esse vim perspiciendi persuasibilia in quacunque re: & definitionem exponens, dixit esse, quæ de re data, id est, de quauis re, quæ sunt credibilia, perspicit: & concludens, ita scripsit: quo circa etiam dicimus, non in genere quodam determinato hanc artem esse. Quid clarius? quid apertius? quid hic opus est expositione, cũ manifestissime suam sententiam aperiat?

Lib. 1. cap. 1.

Quo fit, vt perperam, faciant, qui particulam illam περὶ ἕκαστον, *id est, circa vnumquodque, ab ipsomet auctore clare explicatam, aliter exponant, dicentes, non esse simpliciter intelligendam, sed esse restringendam ad actiones, quæ ad humanam vitam pertinent, cum eam Aristoteles nullo modo contrahat. Item, cum doceret, quod nam sit huius artis munus, dixit, non esse persuadere, sed posse, quæ in singulis credibilia sunt, perspicere. Eius discipulus, vir doctissimus, Alexander Aphrodisensis, eandem secutus est opinionem: scriptum enim reliquit, rhetoricam, & dialecticam in omni rerum genere versari. M. Tullius, & si iunior contra senserit; tamen in ætate matura hanc amplexatus est sententiam, eamque pluribus in locis docuit; ex quibus vnum vel alterum subijciam. Cum ergo hanc dubitationem fuse copioseq; aliquando tractasset, docuissetq; ceteros artifices quasdam proprias habere artes, hæc adiecit verba:*

In lib. 1. top. sub initium.

sed

ſed oratorem plenum, atque perfectum eum eſſe dicam, qui de omnibus rebus poſſit varie, copioſeque dicere. Alio loco de eodem perfecto oratore loquens, ait, Omnia quæcunque in hominum diſceptationem cadere poſſunt, bene ei ſunt dicenda, qui hoc ſe profitetur: aut eloquentiæ nomen relinquendum eſt. Alio loco, Nihil erit, quod oratorem effugere poſſit, non modo in forenſibus diſceptationibus, ſed omnino in vllo genere dicendi. Alibi, vna eſt enim quod ego externa die dixi, & aliquot locis antemeridiano ſermone ſignificauit Antonius, eloquentia, quaſcũque in oras diſputationis, regioneſue delata eſt. Nam, ſiue de cœli natura, ſiue de terræ, & quæ apud eundem ſequuntur. De Quinctiliano nihil eſt quod dicam, qui hanc difficultatem tractauit, & quod nos docemus, contrarias etiam ſententias refellendo, demonſtrauit. Eandem opinionem habuit Cornelius Tacitus in eo, quem de oratore compoſuit dialogo. Hermogenem, quem aliqui in aliam ſententiã trahunt, a nobis eſſe, apertiſſime ex eius verbis demonſtro. Is itaque grauiſſimus auctor, & inſignis dicendi magiſter, definiens rhetoricam, dixit, eſſe artem dicendi ἐν ταῖς βουλαῖς, id eſt, in conſilijs & ſenatu; & in δικαστηρίοις, i. in foro & iudicio, καὶ πανταχοῦ, hoc eſt, & vbique; ac ſi dixiſſet, in omni ſermone, in omni conuentu, & in omni diſpu-

Libro 1. de Ora.

Libro 1. de Ora.

Libro 3. de Ora.

Corn. Tacit.

disputatione. Nec mirum videri debet, quod ita senserit Hermogenes, cum suis temporibus iam apud omnes dicendi magistros oratoris materiam nullo certo rerum genere esse comprehensam, esset exploratum. Eandem denique sententiam meliores, ac doctiores rhetores postea sunt secuti, atque etiam nunc sequuntur: quorum nomina nihil est, cur in medium afferamus. Deinde, eadem positio confirmatur hac ratione satis firma: si dialectica, quod etiam qui contra nos sentiunt, concederent, nullam habet certam materiam, sed in omni re versatur; cur non etiam rhetorica? quæ est ei persimilis, quæ ei in hac potissimum re, vt Aristoteles docet, ex altera parte respondet. Huc etiam facit, quod supra ex M. Tullij doctrina adnotauimus, rhetoricam esse quasi ministram, comitemque sapientiæ, cui omnes res humanæ atque diuinæ subiectæ sunt: quare, necesse est vt in tota illa regione comes versetur, quam eius domina peragrat. Ad hæc, rhetorica est ars communis, omnibus hominibus aliqua parte insita, qua in vnaquaque re vti consueuere: quid igitur volumus eam ad certam quandam materiam constringere, & in angustum, sine vlla necessitate contrahere? complexio videtur necessaria: quod sumptum fuit, & communi rhetorum sententia, & hac Ciceronis illustri auctoritate confirmatur.

Libro 1. Rhe. c. 1.

Cic. li. de Orat. Arist. li. 1. Rhet. cap. 1.

firmatur. Cęterarum vero artium studia fere reconditis, atque abditis fontibus hauriuntur: dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in vsu, atque in hominum more, & sermone versatur. Postremo confirmabitur efficacissime hæc sententia, cum alio loco docebimus, omnes quęstiones finitas, & infinitas, actionis & cognitionis esse eloquentiæ subiectas: atque etiam cum demonstrabimus plenum atque perfectum oratorem debere esse omnium rerum cognitione peritum.

Octaua positio: quamuis oratoris materiæ sint res omnes: tamen frequentius, quæstiones ciuiles tractat: ac proinde hoc quæstionũ genus est præcipua, ac magis propria oratoriæ facultatis materia. Hanc doctrinam docuit Plato, cum Socratem & Phædrum ita loquẽtes fecit. An non, ait Socrates, rhetorica omnino ars erit alliciens animam per sermones, non in iudicijs modo, ceterisque publicis cetibus, verum etiam in priuatis congressibus, eadem de magnis quibuscunque rebus & paruis. Nihil enim honorabilius in magnis, quam in exiguis ex recta artis ratione se gerere. Nunquid tu hæc audisti? Respondet Phædrus: Non ita prorsus per Iouem. Verum circa iudicia præcipue ars ista dicitur, scribiturque, nec non circa conciones: vltra vero eam porrigi, non audiui. Vbi animaduerte, Dialog. de pulchro.

uerte, illud verbum, præcipue: Et cum Phædrus ait, se non audiuisse eam vltra porrigi, nõn negat, eam versari in alijs rebus, vt ex antecedentibus, & consequentibus conijcere licet. Idẽ
Cõmen. in Top. Arist. *docuit expresse Alexander Aphrodisensis, qui cum dixisset oratoris materiam esse res omnes, addidit, esse quandam maxime propriam eius materiam in iudicijs, deliberationibus, ceterisq; partibus rerum publicarum versari. Idem non obscure significasse videtur Hermogenes, qui cum docuisset rhetoricam versari in omni sermone, postea solum ciuilem quæstionem, tanquam præcipuam huius artis materiam, definiuit. Adde etiam quod hæc ars primum in foro fuit inuenta, & caussis ciuilibus adhibita, vt ex*
In Bruto. *Cicerone cognoscere licet; & postea ad omnes res copiose ornateq; tractandas traducta fuit. Itaque sicuti medicina primũ ad morbos curãdos est inuenta, quod hanc ob caussam homo potissimum hac arte indigeat, deinde ad valetudi-*
Gale. ad Trasib. *nem tuendam & conseruandam, vt ex Galeno discimus, translata fuit; ita eloquentia primum ad iudiciorum contentiones, & deliberationum controuersias fuit accommodata, deinde ad omnes alias res ornate explicãdas, non solum suauitatis, sed etiam necessitatis caussa, cępta est adhiberi. Neque enim dubium est, quin ijsdem orationis luminibus, & ornamentis omnium*

rerum genera illuſtrari, & exornari poſſint.

Nona poſitio: Hominum animi, poſſunt dici materia ſubiecta eloquentiæ, eo modo, quem ſupra in vltimo fundamento explicuimus. Confirmant hanc poſitionem rationes ſuperius allatæ pro ſexta ſentẽtia, & hæ M. Tullij auctoritates. Quis enim neſcit, maximam vim exiſtere oratoris in hominum mentibus, vel ad iram, aut ad odium, aut ad dolorẽ incitandis, vel ab hiſce iiſdẽ permotionibus ad lenitatem, miſericordiãq; reuocandis? Et paullo infra: Hoc enim eſt proprium oratoris, quod iam ſępe dixi, oratio grauis, ornata, & hominum ſenſibus, ac mentibus accommodata. Et non multo poſt, requirit in oratore, cognitionem de humani generis moribus, vt orationem poſſit efficere ad ſenſus animorum, atque motus vel inflammandos, vel etiam extinguendos accommodatam. Hanc eandem doctrinam prius elegantiſſime in Phædro docuit Plato, vbi eorum ait artes eſſe imperfectas, qui de animorum affectionibus cognoſcendis nihil docent. Propterea eius diſcipulus Ariſtoteles hac de re fuſe docteque in ſua rhetorica diſputauit. Ex quo facile intelligeres, errare eos, qui dicunt, non eſſe neceſſarium his de rebus in rhetoricis agere: de quibus nos agemus, cum de oratoris officio alio integro libro ſcribemus.

Libro 2. de Ora.

Lib. 2. Trap.

Quincta pars, in qua non nullæ afferuntur; ac soluuntur dubitationes.

ANTEQVAM *huic quæstioni finem facio, quasdam afferam, ac dissoluam, dubitationes, & non nullas ex supra allatis rationibus, quæ contra nostras positiones pugnant, refellam. Prima dubitatio: si rhetorica habet pro subiecta materia res omnes, quas ornate dicendo tractet, ergo etiam grammatica in omnibus rebus de illis congrue loquendo versabitur; quod est falsum, & inauditum. Primum, quid si hanc totam ratiocinationem concederem? nec enim Grammatici nostri temporis sunt vndequaque perfecti, dum solam partium orationis constructionem, & quattuor grammaticæ partes norunt, & tradunt. Nam olim illi perfecti Grammatici non solum congrue loquendi canones docebant, sed etiam quoscunque auctores legebant, enarrabant, corrigebant; &, vel approbando, vel reijciendo, & quasi capite damnando, iudicabant: ac proinde artium omnium cognitione erant imbuti, & ex officio in rebus omnibus, omnium scripta saltem enarrando, aliquo modo versabantur. Huc facit, vt nunc ceteros mittamus auctores, quod aliquando M. Tullius scripsit: In grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpre-*

Quinct. li. 1. c. 4. M. Varro apud Diome. lib. 2. Libro 1. de Ora.

terpretatio, pronunciandi quidam sonus. Deinde, dicerem non esse parem rationem: quia grammaticus satis officio suo facit, si eos qui ad ceteras artes cognoscendas sese conferre volunt, congrue loquendi rationem doceat: at vero orator debet res omnes sibi propositas copiose explicare, artificioseque persuadere.

Secunda dubitatio: qui fieri potest, vt oratoria facultas habeat res omnes pro materia, cum res omnes sint diuersarum artium materia, & vna eademque res non possit pluribus artibus esse subiecta? & vt est in prouerbio, tractant fabrilia fabri: nec sutor vltra crepidam. Primum, petam ab aduersario, qui fieri potest, vt dialectica (quod non negaret) omnibus in rebus versetur? Deinde, iam docuimus vnam & eandem rem posse a diuersis artibus tractari, sed sub ratione diuersa. Postremo, cum dicimus rhetoricæ omnes res esse subiectas, id non est ita accipiendum, vt velimus asserere rhetoricam explicare res omnes, & omnium rerum naturas, proprietates, ac partes inuestigare, quod est singularum artium munus; sed affirmamus oratori, rerum omnium cognitione, & artificio dicendi prædito, omnes res ornate, & copiose, & ad communem sensum accommodate esse tractandas. Et quoniam di-

Lege Quinct. libro 2. cap. 21.

In Phędro. *cendo potissimum verisimilia sectari debet, quæ discernere nequit, vt sapienter animaduertit Plato, nisi veritatem noscat; ideo aliqua ipsarum rerum ei necessaria est cognitio. Ex quibus colligeres diuersa ratione, rhetoricam, dialecticam, & sapientiam in rebus omnibus versari. Nam sapientia res omnes tractat eas demonstrando, caussas & principia inuestigando: dialectica probabilia inquirendo, & quandam firmam opinionem de eis afferendo: rhetorica vero solum persuasionem aliquam popularem faciendo.*

Tertia dubitatio: diximus Aristotelem existimasse res omnes esse rhetoricę subiectas, quod Libro 1. Rhe. c. 3. *videtur omnino falsum. Primum, quoniam aliquando scriptum reliquit, rhetoricam in ijs rebus versari de quibus consultamus, & artes non habemus: ergo non versatur in ijs rebus, quas aliæ scientiæ tractant, si est de ijs, de quibus non habemus artes. Huic rationi hunc in modum occurreres, dicendo rhetoricam esse de ijs rebus, de quibus artes non habemus, prout ex ijs, quæ sunt in alijs artibus, quosdam communes spectat locos, qui valent ad fidem faciendam, & ad persuadendum, quod nullius est alterius artis. Solum itaque Aristoteles affirmare vult, hanc facultatem quædam spectare, quæ in alijs non considerantur*

tur artibus, quibus tamen ad omnes res tra-ctandas vtitur. Deinde, opus oratoris, ex Ariſtotele, eſt perſuadere: at perſuaſio re-fertur ad actionem; cum is dicatur perſua-ſus, qui quod alius perſuaſit, facere eſt pa-ratus: igitur in ijs ſolum quæſtionibus ver-ſabitur, quæ ad actionem referuntur, cuiuſ-modi ſunt quæſtiones ciuiles. Hæc ratio pa-rum vrget, quoniam non ſolum perſuademus agenda, ſed etiam credenda, & intelligen-da: adde, quod ſi quid iſta ratio probaret, neceſſario etiam conficeret genus laudationis huic arti, contra Ariſtotelis ſententiam, ſub-trahendum eſſe, cum in eo nihil ſit neceſſe, vt auditores ad aliquid agendum prouocentur: Quare, nihil video, cur perſuaſio non poſ-ſit etiam ſignificare fidem, ſeu intelligentiam ad popularem ſenſum accommodatam: ſed de perſuaſione ſequenti diſputatione latius.

Lib. 1. cap. 1.

Lib. 1. cap. 3.

Quarta dubitatio: quid dicendum eſt de quæ-ſtionibus cognitionis, ni ita tractentur, vt ad actionem referantur? De hac dubitatione alias integra diſputatione dicemus; nunc breuiter re-ſpondemus, has etiam quæſtiones eloquentiæ fini-bus contineri, etiam ſi ad cauſſam, ſeu quæſtionẽ finitã non reuocentur. Quod ſi cum M. Antonio Mureto obijcias, has quæſtiones non contineri ſub vllo trium cauſſarũ genere, ac proinde ora-

Comen. in Catil.

tori non esse subiectas, respōderet Riccobonus, non omnem rhetoricæ materiam sub aliquo ex illis tribus generibus contineri: Sed hęc responsio, cum id petat, quod in quæstionem vertitur, a Mureto facile rideretur. Dic igitur eas reuocari ad genus demonstrationis: sed de hac re plenius in eo libro, in quo de tribus caussarum generibus disputabitur.

Postrema dubitatio, sub quo nam caussarum genere continentur conciones nostri temporis? De hac re libro proxime citato, ex professo agam; nunc breuiter respondeo, mihi nullo modo placere, quod quidam modernus auctor docuit, nostri temporis conciones solum ad genus pertinere deliberatiuum. Nam, multas inuenies apud antiquos Patres conciones, quæ solū, vel virtutum, vel hominum laudes continent: multas etiam, quę solum in docendo versantur: non nullas, quæ nostræ religionis caussam aduersus alienigenas defendunt. Et Saluator noster, suos discipulos non solum ad hortandū, sed etiam ad docendum misit. Quæ autem auctor ille pro sua sententia argumēta affert, nihil prorsus concludunt, vt alio loco, vbi plures rationes pro nostra sententia afferam, aperte demonstrabo. Fatemur tamen nostros oratores sæpius in deliberationis genere versari. Reliquum esset, vt eas solueremus rationes, quas superius

Ant.Ric cob.

Mat.vlt.

ad

ad confirmandas varias opiniones attulimus; Sed quoniam, vel ex dictis facile soluuntur, vel nostras positiones confirmant, vt in hoc immoremur, nihil est necesse. Sit igitur huic parti, & disputationi finis: & ad aliam caussam explicandam transitum faciamus.

De fine Rhetoricæ, an eius finis sit persuadere, Disputatio VIII.

QVAM *sit necessaria in omni arte tradenda finis cognitio, docte quidem, atque eleganter, princeps inter Romanos orator, tunc indicauit, cum in altero de Inuentione libro, hæc verba literis consignauit. Quorum igitur generum fines et exitus diuersi sunt, eorum præcepta eadem esse non possunt. Ex qua sententia perspicue intelligi licet, nulla idonea posse tradi in arte præcepta, nisi artis finis fuerit cognitus, planeq; perspectus. Siquidem, vt Aristoteles in physicis docet, finis est cęterarum caussarum norma, & ratio. Quod si in omni arte finis spectandus est, maxime in ijs, quę in actione versantur, & sunt in coniectura positæ, in quarum numero, vt supra docuimus, posita est rhetorica. Vt itaque omnia præcepta, quæ in hoc nostro de arte dicendi opere daturi su-*

Lege Quinct. li. 2. c. 15. Franc. Picũ libro 2. de vani. doctri gen. cap. 4.

Libro 2. Physi.

mus, apposite idoneeque tradantur, quinam sit proprius huius artis finis, nobis profecto explicandum erit. Et, vt quod hac disputatione quærimus facilius percipiatur, quid nomine finis intelligere debeamus, primum aperiendum est.

Finis, vt ex Aristotele loco paullo ante citato discitur, est id, quo referuntur omnia, & id cuius caussa omnia alia fiunt. Vnde Plato dixit, finem sibi videri esse πασῶν τῶν πράξεων ἀγαθὸν, καὶ ἐκείνου ἕνεκα δεῖν πάντα τὰ ἄλλα πράττεσθαι, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνο τῶν ἄλλων: hoc est omnium actionum bonum, & illius caussa oportere omnia alia agere, & non ipsum aliorum. Et Augustinus, finem in omnibus rebus esse ait, ad quem cuncta referuntur; cuius caussa fiant reliqua omnia. Finis ergo eiusmodi esse debet, ex omnium philosophorum sententia, vt ad ipsum omnia referri oporteat, ipsum vero nusquam. Quærimus igitur, quodnam in hac arte sit id, quo omnia, quæ in ea tractantur, referri debeant. Quod Latini finem dicunt, Græci τέλος, & σκόπον, vocant. Sunt autem, qui inter τέλος, & σκόπον hoc discrimen assignent, vt σκόπος, dicatur res ipsa proposita, vt in arte medica, sanitas: τέλος vero, rei propositæ consecutio, sanitatis scilicet adeptio. Inuestigatur autẽ cuiusque artis finis, vt libro de Arte valetudinis tuendæ adnotauit

In Gorgia.

Lib. de princ. rhet.

Cic l. 1. de Fin.

Galen.

An. Ric.

Cap. 29.

uit Galenus ex officio. Officium vero in vnaquaque arte id dicitur, quod artifex prestare, et efficere ad finem consequendum, debet. Quid autem cuique arti præstandum sit, cum de officio oratoris alio libro instituta fuerit disputatio, planius explicabitur. Finis igitur id erit, ad quod officium refertur: & sicuti finis sine officio, ita officium sine fine recte cognosci nequit; cum hæc duo sint inter se maxime affecta, quorum ea est natura, vt vnum sine alio intelligi non queat. Ex his igitur quid in præsentiarum quæratur satis constare arbitror; de quo variæ fuerunt rhetorum opiniones.

Prima Fabij Quinctiliani, qui ex professo ab Aristotelis, & M. Tullij sententia dissentiens, existimauit rhetoricæ finem esse apte dicere ad persuadendum; motus non nullis leuibus ac frigidis argumentis, quæ postea diligenter diluemus. Quam opinionem quidam alij Scriptores libenter sequuntur. Libro 2. cap. 15. Streb. in lib. 1. de Orat.

Cecunda sentẽtia communissima omnium fere rhetorum, qui defenderunt suæ artis finem esse, persuadere: quorum loca paullo inferius afferam. Verum quidam, animaduertentes oratorem non semper persuadere, huic opinioni, vt oẽm calumniam vitarent, addiderunt, quatenus conditio rerum, & personarum patitur. Et q̃m Marcoman. apud Victo. Her mag. vt refert Aug. lib. de prin. rhet.

alij

alij etiam artifices persuadent, tandem addendum putarunt, in ciuilibus quæstionibus.

Tertia est aliorum, qui duos constituunt rhetoricæ fines: alterum, quem vocāt, intrinsecum, & hic finis est bene, seu apte dicere: qui finis est in manu oratoris positus, quem semper potest attingere: alterum externum, nimirum persuasionem, seu persuadere, qui finis ab auditorum voluntate pendet. Et per hanc distinctionem non nulli Quinctilianum cum Cicerone conciliare volunt: ita vt Fabius intelligendus sit de fine interno, Cicero vero de externo.

In lib. I. de Inuē. *Quarta sententia est Marij Fabij Victorini præstantissimi rhetoris, qui statuam auream in foro Traiani sibi poni meruit, & diuum Hieronymum habuit discipulum: is fatetur finem rhetoricæ esse persuadere, & semper oratorē hunc finem assequi, licet non semper persuadeat. Hāc opinionem inferius exponam, cum eam confutabo. Vt hanc maximi momenti controuersiam clare explicemus, non nulla fundamenta nobis ponenda sunt.*

Pro primo fundamento in memoriam reuocare oportet, quæ supra diximus de differentijs inter artes certas, & artes coniecturales; ex quibus huius quæstionis explicatio maxime pendet. In eo igitur hæ artes, omissis alijs differentijs, maxime distinguuntur, quod certarum artium

fines in

fines in ipſorum artificum ſunt poteſtate; ita vt non ſolum eos ſibi proponant; ſed etiã quandocunque voluerint, aſſequantur. At vero fines artium coniecturalium, licet ſemper ſint propoſiti; tamen non ſunt in manu artificum, nec ſemper attinguntur. Et quamuis, vt initio huius diſputationis ſcripſimus, artium omnium natura, ac vis ex fine petenda ſit: tamen, non eodem modo. Nam perfectæ artis natura non ſolum ex finis propoſitione, ſed etiam ex conſecutione perpenditur; imperfectę vero nõ item, vt ſupra ſcripſimus. Licet ergo nulla ars abſq; finis propoſitione conſtitui queat; vt prudenter Galenus ſcriptum reliquit: tamen earum perfectio, non vna atque eadem ratione ſpectatur. Quamobrem, vt paucis, quæ ſupra latius ſcripſimus, complectamur, perfectarum artiũ abſolutio ab extremo fine, a quo nunquam aberrant, petenda eſt: neque enim bonus pictor appellaretur, qui ſuæ artis finem non eſſet adeptus: Imperfectarum vero non a fine, quem ſæpe non attingunt, ſed ab officio, & opere proprio ſpectari debet: & tunc cenſendæ ſunt perfectæ, cum ſuo officio præclare functæ fuerint: nec quicquam quod in arte ſit ad finem conſequendum idoneum, prætermiſerint. Ex his intelligi licet, varia ratione artes perfectas & imperfectas ex fine definiendas eſſe. Perfectę

Lib. ad Traſib. cap. 28. Lib. de cõſt. art. med.

enim

enim ex finis propositione, & adeptione commode finiri possunt: at coniecturales ex propositione tantum. Quare, si apud probatos scriptores, vt apud Platonem, inueneris rhetoricam definitam fuisse per finem, vt cum dicitur, esse persuadendi artem, intelligendi sunt de fine ratione propositionis: quod nimirum, sit ars quædam, quæ omnia ad persuasionem refert. Atque hæc de primo fundamento.

In Phil.

Secundum fundamentum: verbum, persuadere, apud Latinos idem sæpe significat, quod consilium dare. Vt apud Terentium, cum ait: Is mihi persuadet nuptias: quæ significatio ab instituto nostro est aliena. Interdum idem valet quod, fidem facere, & vt id, quod dicitur, tanquam verum, credatur, efficere: vnde nati sunt hi dicendi modi: Hoc mihi persuasit; Ei persuadere non potui, & alij similes. Et in hac significatione accipitur hoc verbum, cum quærimus, An finis oratoris sit persuadere, hoc est fidem facere. Hæc autem persuasio duobus modis accipitur: altero modo pro ipsa actione, & functione Oratoris, qua dicendo persuadere connititur: altero vero pro illa fide, quam dicendo in animis auditorum gignit: Et de persuasione hoc posteriore modo sumpta, intelligenda est præsens disputatio. Neque enim quisquam diceret, illam persuadendi functionē esse

oratoris

oratoris finem, ſicuti nec medici actionem, medicæ artis, vt eleganter ad Traſibulum ſcribēs, docuit Galenus, vbi functionem artis a fine diſtinguit, eamque non eſſe finem, ſed ante finem docet.

Tertium fundamentum, in quo explicandum eſt, quot ſint perſuaſionum genera. Duo itaque, vt ex Platone cognoſcere licet, ſunt genera perſuaſionum: alterum diſciplinæ, ſeu ſcientiæ, quod διδασκαλικὸν, Græci vocant; quod veram perfectamque cognitionem eius, quod perſuadetur, in animis auditorum conficit. Vt cum Geometra demonſtrat triangulum tres habere angulos duobus rectis æquales: vel cum Aſtrologus probat Solem eſſe multis partibus maiorem terra, aut terram eſſe rotundam: vel cum Philoſophus naturalis probat hominem eſſe interitui obnoxium, quod ex rebus contrarijs ſit conflatus. Et hæc quidem perſuaſio earum eſt artium propria, quæ perfectam ſcientiæ naturam ſunt ſortitæ: vt eſt Phyſiologia, Geometria, Aſtrologia, & aliæ harū ſimiles. Alterū genus cōtinet perſuaſionē fidei, ſeu opinionis, quæ perſuaſio ob ſuam imbecillitatem non peruenit, ad ſcientiā, ſed ſolum opinionem quādā efficit, quam Græci, πιςδτικὴν, hoc eſt, credulā, vocant. Vt ſi quis probaret honores contemnendos eſſe, quia nō ſunt ſtabiles: futurā

In Gorg.
Ariſtot. li. 1 Rhetor. c. 2.

esse pluuiã, quia aer est nubilosus. Et hęc persuasio ad eas artes pertinet, quæ demonstrationes non habent, sed probabilibus rationibus vtuntur. Cap.2. *Neque enim, vt præclare libro primo de Moribus ad Nicomachum scripsit Aristoteles, mathematicæ demonstrationes sunt in omni arte quærendæ: & hoc postremum persuasionis genus ad oratorem pertinet: quod quamuis sit ei cum dialectico aliquo modo commune; tamẽ inter oratoriam & dialecticam persuasionem non nihil est discriminis. Etenim dialecticus id inquirit, quod est in re ipsa probabilius, siue sit futurum hominibus credibile, siue non: cum nõ tam laboret, vt rem ipsam persuadeat, quam vt probet: quo fit, vt suam disputationem non ad hominum animos, sed ad rei naturam accommodet: vt, ni scientiam, saltem aliquid scientię proximum, & affine probando creet. Orator autem non tam quid sit in rei natura, quam quod est idoneum ad auditorum animos permouendos, & quoquo voluerit flectendos, in quibus tractandis totus est occupatus, spectat. Dialecticus itaque id, quod est magis aptum ad docendum, orator vero quod est accommodatius ad persuadendum quærit: dialecticus credibilia, & ἔνδοξα, idest probabilia, & communi opinioni accommodata, orator vero πιθανά, idest verisimilia, & persuasibilia prosequitur: dialecti-*

dialecticus apud viros doctos de rebus ad grauiores artes & scientias spectantibus fidem facit: Orator vero etiam apud populum, popularem & ad communem sensum accommodatam persuasionem gignit. Est ad hanc doctrinam demonstrandam illustris apud Ciceronem præfatione in Paradoxa auctoritas; vbi refert M. Catonem in Senatu locos graues ex Philosophia tractare solitum fuisse, abhorrentes ab vsu forensi & publico: qui tamen vt Stoicus disputabat, & nullum sectabatur orationis florem, neque dilatabat argumentum, sed minutis interrogatiunculis, & quasi punctis, quod proponebat, efficiebat: Et cum de iisdem rebus ipse esset acturus, ita scripsit: Tentare volui, possentne proferri in lucem, & ita dici vt probarentur: an alia quædam esset erudita, alia popularis oratio. Dialecticus itaque, vt hoc fundamentum perficiamus, probabilia, Orator vero persuasibilia sectatur: de quibus fusius alio loco dicetur. His notatis, statuo has positiones. Ci.in Parad.

Prima positio: Finis rhetoricæ est persuadere. Est hæc positio contra sententiam Fabij, quam his rationibus breuiter refellam. Primū doctissimorum hominum sententia: Plato definiuit rhetoricam per persuasionem, tanquā per eius finem: quæ persuasio si non sit rhetoricæ In Gorgia.

finis

finis nulla alia ratione ad eam pertinebit. Quod si Fabius dicat hoc loco Platonem, non tam suam, quam Gorgiæ opinionem insinuere; quid dicet ad id, quod in Philebo scriptum reliquit, vbi rhetoricam artem esse persuadendi asseuerauit? Et in Phędro, vbi ex propria sententia de rhetorica non nihil disputauit, ideo orationem ab oratore susceptam esse ait, vt in animis auditorum persuasionem gignat: & oratorem ab hoc fine, Persuasorem, vocat. Isocrates, cuius domus dicendi officina in vniuersa Græcia dicebatur, definiens rhetoricam, vt Quinctilianus refert, dicebat, esse, πειθοῦς δημιουργόν, idest persuasionis opificem. Aristoteles ex eodem fine hanc facultatem definiuit: & in tertio Ethico cum dixisset artifices non consultare de finibus, exemplum attulit de medico, qui non consultat, an sit sanaturus, & de oratore, qui pariter non consultat, an sit persuasurus. M. Tullius idem in rhetoricis de Inuentione sensit, idque Quinctilianus fatetur; sed ait Ciceronem hos libros nō probasse, cum aliquando scripserit, eos rudes & impolitos sibi excidisse. Verum, si quæ in matura ætate de eadem re senserit, obseruare voluerimus, eum in hac sententia perstitisse inueniemus. Facit enim aliquando Crassum dicentem, se didicisse oratoris officium, esse dicere ad persuadendum accommodate.

Libro 1. cap. 15.

Cap. 3.

Lib. 1.

Lib. 1. de Orat. in procem.

Li. 1. de Orat.

date. Sed dicat aliquis acutulus, Ciceronem hoc loco, non quod ipſe ſenſerit, ſed quod Craſſus ab alijs didicerit, retuliſſe: ſed quid dicetur ad id, quod alibi de ſua ſententia ſub Antonij perſona expreſſit? cum dixit, Omnem dicendi rationem tribus ad perſuadendum rebus initi. Idem ſenſit vir grauiſſimus Plutarchus, qui rhetoricam deſcribens, dixit eſſe facultatem appoſita dicendi ad perſuadendum. In hanc etiam ſententiam adduceres Hermagoram, cum quæ in libris de Inuentione ſcripſit Cicero, ex illius ſcriptis exhauſerit. Idem ſenſit auctor Herennianus. Fuit hæc opinio antiquiſſima in populo Romano, vt ex quibuſdam verſibus Ennij a Cicerone recitatis, colligere licet. Inducit Ennius populum laudantem M. Cethegum antiquiſſimum apud Romanos oratorem, quem, Florem populi, Suadęque, hoc eſt, Deæ perſuaſionis, medullam populus appellabat. Ex quo etiam loco quid Tullius hac de re ſenſerit, facile perſpicitur; vbi ita ſcribit. πειθώ, quam vocant Greci, cuius effector eſt orator, hanc, Suadam appellauit Ennius. In eadem præterea ſententia Athenæus, & Apollodorus, fuerunt. Et ne plures auctores ex rhetorum ſcholis citem, placet hunc locum, Diui Thomæ, & Bonauenturæ teſtimonio concludere; qui duo optimi rerum

Libro 2. de Ora.

Pe. Moſ.

Cice. in Bru.

Au. Gel. li. 12. ca pit. 2.

In ſumma p. 2. q. 7. ar. 2

inquisitores, & iudices, idem quod nos docemus, docuerunt. Deinde, id est in aliqua arte finis, quod est in ea extremum, & quo referuntur omnia, vt ex ijs, quæ supra scripsimus, planum est: at nemo negaret id, quo tandem orator potiri vellet, non esse persuasionem, & in hunc scopum omnia quæ agit eum non dirigere; igitur persuasio erit oratoris finis. Postea, in omni arte finis distinguendus est ab officio: atqui apte, seu bene dicere ad persuadendum, est oratoris officium, nec enim aliud quispiam cum ratione assignabit, igitur non poterit esse finis: restat igitur, vt finis sit ipsa persuasio. Quo loco peterem ex aduersarijs, quid sibi velit illud, quod in explicatione suæ sententiæ ponunt, Ad persuadendum; si igitur apte, seu bene dicimus ad persuadendum, persuasio erit id, quo referuntur omnia. Peterem item, cur, si quam orationem ipsi haberent, in ea multum laborarent? responderent credo, vt apte & idonee dicerent: sed iterum sciscitarer, an solum vellent apte dicere, an vero aliquid amplius desiderarent? profecto, ni desipere, & quod in animo inclusum habent, omnino occultare vellent, dicerent etiam, se velle persuadere; igitur persuasio erit finis, cum sit in dicendo vltimum. Ad hæc, quamuis alicuius artis finis

possit

possit referri ad aliam artem, sicuti finis artis equestris ad artem militarem; tamen, nunquam potest referri ad aliquid, quod sit in ipsa arte; quia idem esset finis, & instrumentum, & medium & vltimum: at in arte dicendi, apte dicere refertur ad persuasionem: igitur non potest esse finis: contra vero, licet persuasio referatur ad finem artis Politicæ, id est ad statum reipub. & ad pacem conseruandam, nunquam tamen refertur ad aliquid, quod sit in ipsa arte: igitur. Iam vero, omnis humana actio suscipitur alicuius finis gratia, ad quē sua natura refertur, alias enim temeraria ac vana censeretur: ac nullus alius est finis, cuius caussa orator orationem conficiat, & in foro dicat, nisi persuasio, igitur: alias enim declamator, qui domi comparandæ eloquentiæ caussa dicit, nihil ab oratore differret, cum ille etiam apte dicere, pro fine habere possit, & habeat. Denique, nostra sententia ex argumentationum contrariæ sententiæ solutione, efficaciter confirmabitur. Arist. libro primo Eth. cap. 1.

Secunda positio: Qui M. Fabium cum M. Tullio conciliare volunt, in vanum laborant. Primum, ex professo, & data opera Fabius se se opposuit Tullio, & eum errasse affirmauit; & ambos de vno eodemque eloquentiæ fine, cum, vt quæcunque alia res vnum tantum

tum habeat, locutos fuisse existimandum est: propterea, frustra, eos conciliare nituntur. Deinde, si qua ratione eos conciliare licet, certe per illum distinctionem finium: sed ista distinctio, vt statim dicemus, non est firma, igitur.

Tertia positio: distinctio illa de duplici fine non videtur recipienda. Primum quidem, quod apud veteres scriptores nullibi reperiatur exposita, cum tamen sit in promptu: proinde tanquam noua pro suspecta haberi debet. Deinde, quod recentiores finem vocant, antiqui, ἔργον, idest opus appellant, & finem τέλος: confundunt ergo ac permiscent isti finem, & opus. Postea, hi fines, quos neoterici extrinsecos nominant, vt sanitas in medicina, persuasio in rhetorica, non sunt extranei, sed maxime insiti, atque ipsis artibus infixi, cum ab his tota artis natura petenda sit: igitur. Neque enim quispiam diceret (modo quid diceret, animaduerteret) sanitatem esse extrinsecam in arte medendi; cum omnia, quæ medici docent; & efficiunt ad sanitatem referant: alias enim in actuosa Philosophia, hominis finis non esset honesta vita: nec in Christiana disciplina diuini numinis cognitio, aut potius amor, cum hos fines multi non attingant, quos isti pro-

secto

fecto extrinsecos vocarent. Itaque nullo modo fines extrinseci sunt dicendi, ij, ad quos omnia quæ in arte fiunt ab artifice referuntur.

Quarta positio: Marij Fabij Victorini opinio nulla ratione defendi potest. Cum itaque hic Commentator Ciceronem aduersus Marcomanum defenderet, ait, Tullium posuisse finem in rebus, non in euentu, hoc est in officio, & in ijs, quæ ad finem, idest ad persuasionem tendunt; quam ait esse finem. Sed ex hoc optimo dicendi magistro peterem, an officium dicat esse finem, & tunc ipse minus profecto Tullium intelligit, quam Marcomanus intelligeret, cum Cicero inter finem & officium discrimen ponat: aut id, ad quod officium refertur, & quod officium consequitur; & tunc certissimum est, oratores non semper consequi eum finem, quem sibi proponunt; cum non semper persuadeant. Quare, cum res ipsæ, idest officium, non sint finis, non possumus affirmare oratoris finem esse completum, vt hic auctor ait, si orator apposite ad persuasionem dicat, & non persuadeat. Et cum semper bonus orator suo fungatur officio, ex quo artificum, qui in artibus non certis versantur, præstantia, vt diximus, spectari debet, semper suum finem attingeret, & persuaderet, si finis in rebus,

id est in officio positus esset. Sed diceret aliquis, eloquentiam habere pro fine persuasionem, atq; hunc finem semper attingere, oratorem autem non semper: verum hoc nihil est, cum nulla alia reperiatur eloquentia, præter ea, qua optimi vtuntur oratores, qui non semper persuadent: ni velis eos non esse oratores, qui cum dicunt, non persuadent; quia interdum Cicero non fuisset orator.

Quincta positio: non placet, quod Pontanus In Dial. Anton. *dixit, apte dicere esse officium, & finem oratoris, & hunc finem referri ad persuasionem: Quoniam, vir alias doctus, confundit officium cum fine. Et si finis, vt ipsemet docet, est, id quo cuncta referuntur; quomodo, apte dicere, si refertur ad persuasionem oratoris finis esse poterit? Quare, cum M. Tullius ait, oratoris officium esse apte dicere ad persuadendum, non duos indicat fines, vt citatus auctor scribit, sed officium per finem docte eleganterq; exponit. Sed iam tempus est, vt quæ contra nostram sententiam disputatur ea refellemus.*

Primum itaq; ita nos vrget Fabius: non solus orator persuadet, sed etiam multa alia in hominum animis persuasionem efficiunt: persuadere igitur non erit finis oratoris proprius. Quod sumptum fuit, patet; quia pecunia, gratia, dicentis auctoritas, dignitas,

meritorum recordatio, pulchritudo, tabulæ, tormenta, ac denique rei alicuius miserabilis aspectus, magnam vim ad persuadendum habent, & interdum magis animos mouent, quam oratio ipsa, vt non nullis exemplis ostendit Fabius; igitur: Hoc loco, hunc in modum, cum Cicerone ironicos admirari liceret: O plumbeum pugionem? Infirma itaque, & valde imbecilla argumentatione ad firmissimam sententiam euertendam hic auctor nititur. Siquidem quæ enumerata sunt, si proprie loqui velimus, non persuadent, sed potius corrumpunt, & peruertunt iudicis iudicium. Et præsertim pulchritudo, quæ ita solet iudicum oculos perstringere, vt nihil videre queant. Neque enim ista efficiunt, vt credas aliquem nocentem, vel innocentem esse: Si autem quidquam ad persuadendum conferunt, oratoris dictione, & arte fit. Itaque tabulæ, quæstiones, & tormenta non persuadent, sed oratores his ad persuadendum vtuntur.

Premit deinde nos Fabius hac secunda non dissimili argumentatione: multæ personæ præter oratores, ex se persuadent, vt adulatores quorum persuasio ad multos penetrat, & in omnium animos sese insinuat, fœminæ, & pueri, qui sæpe eloquentiæ fructum repor- Cice. in Orat.

tarunt, & multi alij artis dicendi rudis: quomodo igitur erit summi oratoris finis id, quod etiam artis expertes attingunt? Hanc obiectionem facile dilueres ex ijs, quæ supra de natura artium coniecturalium diximus; quarum fines ob caussam ibi expositam, qui earum sunt ignari, consequi interdum possunt: quamuis non ita frequenter, nec ita facile. Quæ doctrina priuate locum habet in arte rhetorica; cuius maiora quædam initia omnes homines a natura habent: & ideo non est mirum, si qui eloquentia naturali sunt præditi, quibusdam alijs præsidijs extrinsecus adiunctis, vt, auditorum beneuolentia, a qua persuasionem potissimum pendere, summus orator Demosthenes, dicebat, & caussæ bonitate, eum finem casu assequuntur, ad quem consequendum solus orator omnia idonee præstare potest. Ideo prudenter M. Tullius dixit, finem oratoris esse persuadere, dictione, non tabulis, non pecunia, non temere; dictione, inquam, idest oratione, quæ est oratori propria.

Tertio loco vrget nos aduersarius, quia finis in aliqua arte is est dicendus, quem qui est in arte peritus & exercitatus semper attingit: atqui excellentes oratores, etiam si omnes eloquentiæ neruos adhibeant, & iustas caussas tractent, nō semper persuadent: ergo absurdum

esse videtur eum huic arti statuere finem, quem optimi artifices non assequuntur. Quod sumptũ fuit multis exemplis demonstrare licet, sed vnũ, vel alterum attulisse sufficiat. Cicero oratorum optimus apud Cæsarem pro Deiotaro orauit, & tamen nihil persuasit. in caussa etiam Miloniana, licet orationem omnium artificiosissimam habuerit, nihil dicendo obtinuit. Hanc argumentationem parum vrgere intelliges, si in memoriam reuocaris, quæ de artium, quæ coniectura nituntur natura, supra scripsimus: in quibus, etiam peritissimi artifices, interdum suum frustrantur finem: cum multis alijs extrinsecis præsidijs ad illum obtinendum indigeant. Neque horum artificum perfectio a finis consecutione, sed ab opere & officio petenda est. Quod autem attinet ad illam orationem pro Rege Deiotaro, ideo fortasse non persuasit, quod non omnem, quam potuisset, artem adhibuerit, quod ipse in quadam epistola ad Dolabellam fateri videtur: cum eam appellet, tenuem inopem, & scriptione magnopere indignam, & leuidense munusculum crasso filo. Adde etiam, quod Cæsaris animus erat omnino a Deiotaro auersus. Quod attinet ad orationem illam absolutissimam pro Milone, falsum est Ciceronem eam orationem, quæ nunc extat, apud iudices habuisse: habuit enim aliam,

Libro 9. Epist. Epist. 12.

quam

Franc. Sylu. Hermo. Bar.

quam tamen Clodianorum acclamatione impeditus, perficere non potuit. Quare si Cicero eam habuisset, fortasse persuasisset; vt Milo, sibi persuasit. Nam cum ei Massiliæ exulanti, hæc oratio a quodam recitata fuisset; dixit: Si sic egisses M. Tulli, Milo non esitaret Massiliæ barbatos pisces.

Postea, videtur omnino a ratione alienum præstantissimum artificem cuiusmodi est orator, velle fortunæ subijcere, dum ei talis proponitur finis, qui est in manu fortunæ positus. Si hæc ratio quicquam probat, dicas etiam victoriam non esse belli finem; nec sanitatem medicinæ, nec agriculturæ fructus ex terra percipere, nec nauticæ in portum nauim incolumen perducere; quæ, qui absurda esse non videt, quid videat, non video. Non est itaque absurdum huiusmodi finem proponere ijs artibus, quæ coniectura nituntur, vt sæpe diximus.

Arist. li. 2. phys.

Insuper, vt natura nihil agit temere ita, neque ars, quæ ipsam naturam imitatur: quare, sicuti natura errasset eiusmodi fines caussis effectricibus proponendo, ad quos peruenire non possent; ita errant ij, qui talem oratori statuunt finem, quem, etiam si idonee ad illum adipiscendum se gerat, tamen non semper consequitur. Nec in natura, nec in arte necesse est finem eiusmodi esse, vt id, quod propter finem agit, semper

per

per eum attingit: vt patet in eo genere cauſſarum, quæ contingenter, vel libere agunt: quarum hæc eſt vis atque natura, vt poſſint aberrare a fine: vt non vno in loco docet Ariſtoteles. Nec temere ea cauſſa egiſſe dicitur, quæ ad finem conſequendum omnem vim adhibuit, etiam ſi non aſſequatur. Lib. 2. phyſ.

Poſtremo, omnes quotquot ſunt artes, & diſciplinæ perſuadent, vt his verbis expreſſe teſtatus eſt Ariſtoteles: Nam ex alijs vnaquæque in re ſibi ſubiecta docendi & perſuadendi exercet facultatem: & rurſus, cum ait, omnes artes perſuadere eos, qui earum principia norunt: non poterit igitur perſuaſio dici proprius rhetoricæ finis. Facile hæc ratio diluitur ex his, quæ ſecundo fundamento diximus: ex quo patet rhetoricam habere quandam perſuaſionem ſibi propriam, popularem videlicet, & ad communem hominum ſenſum accommodatam. Cum itaque aduerſariorum rationes nihil ad contrariam ſententiam perſuadendam valeant, maneat ex his, quæ diximus nobis perſuaſum, rhetoricæ finem eſſe perſuaſionem. Lib. 1. Rhet.

Quæ

Quæ & quot ſint cauſſæ efficientes Rhetoricæ, Diſputatio IX.

TRES *hucuſque varijs diſputationibus eloquentiæ cauſſas explicuimus, formam, materiam, & finem: reſtat igitur vt de conficiente aliquid dicamus: de qua hac diſputatione vniuerſe, & quidem breuiter agemus, cum poſtea integro libro de cauſſis eloquentiã efficientibus ſeorſim diſputaturi ſimus. Quod igitur ad difficultatẽ propoſitam attinet, videtur non eſſe veram eorum ſententiam, quæ communior cenſetur, quattuor tantum eſſe effectrices eloquentiæ cauſſas; naturam, artem, exercitationem, & imitationem.*

Primum ex Platone, qui in Phædro tres tantum aſſignat, nimirum tres priores iam numeratas: eandem enumerationem poſuit M. Libro 1. de Inuẽ. *Tullius, qui ſcriptum reliquit, Hoc ſi forte non natura modo; neque exercitatione conficitur, verum etiam artificio quodam comparatur.*

Deinde, aliæ ſunt cauſſæ quibus eloquentia comparatur, veluti diligentia, cui multum tri- Libro 2. de Ora. *buit Tullius, & philoſophia, ſine qua, vt idem* In Ora. *auctor cenſet, eſſe non poteſt is, quem ipſe for-* Libro 3. de Ora. *mabat orator: alio loco requirit in eo, qui orator futurus ſit, liberalem educationem, doctri-*

nam

nam puerilem, & vt flagret ſtudio: alio loco, ait numerorum artem ſenſum inueniſſe.

Poſtremo, vt multas alias rationes, ſtudio- ſis adoleſcentibus excogitandas relinquam, vel hæc dubitatio intelligitur de eloquentia naturali, vel de artificioſa: ſi de naturali, illa non eſt ab arte, cum quæ ſunt a natura, ſint ante omnem artem: ſi de artificioſa, iſta non eſt a natura, vt eſt manifeſtum, igitur. In Ora.

In hac diſputatione, ſi quid auctores ſcripſerunt, ſpectare velimus, varij ſunt dicendi modi. Primus eorum, qui ſolum tres cauſſas numerant, vt Plato, Fabius, auctor ad Herenniū, Trapezuntius, & non nullij alij. Secundus eorū, qui quattuor diſtinguunt cauſſas, ſuperius poſitas. Ita Victorinus præfatione in libros de inuentione; quem Cyprianus & multi alij ſequuntur. Inter eos, qui tres numerant, alij poſtremam omittunt, vt Plato: alij eam nominatim ad exercitationem reuocant, ut Fabius: alij primam omittunt, vt ſcriptor herennianus. Verum, quidquid alij ſenſerint omittentes, quod nobis verius videtur quibuſdam fundamentis, & poſitionibus aperiemus.

Primum fundamentum: cum de cauſſis efficientibus eloquentiæ diſputamus, poſſumus plura inueſtigare: primo, quænam illæ ſint: deinde, quot ſint numero, an tres, an quattuor,

tuor, vel plures, aut pauciores: postremo, possumus eas inter se conferre, docendo, quænam illarum maiorem vim habeat ad eloquentiam comparandam: quæ omnia nobis in præsentia breuiter explicabuntur, alibi latius.

Secundum fundamentum: caussæ efficientis In Top. *varij sunt modi, quos M. Tullius aliquando exposuit. Nam, alia est quæ sua vi rem efficit, nulla allia adiuuante: quo modo Sol hunc mundum illuminat: alia quæ iuuari velit, quo modo homo generat hominem, sed non sine aliarum caussarum præsidio: item, alia est caussa constans & certa, alia vero non constans: denique, ne singulos modos hic recenseam, quos libro de inuentione diligentius prosequar, alia est quæ procreat, alia quæ conseruat. Hic potissimum quærimus de caussis, quæ eloquentiā procreant. His iactis fundamentis, has statuo positiones.*

Prima positio: eloquentia habet caussam effectricem. Hæc positio est per se manifesta, & ideo nulla probatione est opus.

Secunda positio: Natura, ars, exercitatio, & imitatio sunt caussæ efficientes eloquentiæ. In hac positione solum affirmare uolumus has esse eloquentiæ caussas, & nihil statuimus de certo numero. Et quoniam versamur in re mi- Libro 1. de Ora *nime dubia, sola Ciceronis auctoritate ad has singulas caussas demonstrandas, contentus ero.*

Quod

Quod igitur ad naturam, seu ingenium attinet, hæc apud Ciceronem affirmat Crassus. Sic censeo, naturam primum, atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam: & quæ sequuntur. Et ne multa loca adducam in eo, qui sit futurus bonus orator, passim naturam requirit idoneã. De arte, siue præceptis, hæc idem Crassus: Non ignoro, & quæ bona sunt fieri meliora posse doctrina, & quæ non optima, aliquo modo acui tamen, & corrigi posse. De exercitatione, idem apud eundem ait, ad doctrinam adiungendum esse vsum frequentem, qui omnium magistrorũ præcepta superat. Alio loco: quod si indocta consuetudo tam est artifex suauitatis; quid ab ipsa tandem arte, & doctrina postulari putamus? De imitatione, Antonius apud Ciceronẽ. Sed ea non satis perficere potuisset, nisi eodem studio, atque imitatione incidisset; atque ita dicere consuescet, vt tota mente Crassum atque omni animo intueretur. Ergo hoc sit primum in præceptis meis, vt demonstremus, quem imitemur: & quę sequuntur. Et Fabius: Non dubitari potest, quin artis pars magna contineatur imitatione.

Libro 1. de Ora. In Ora. Libro 1. de Ora. In Ora. Libro 2. de Ora. Lib. 10. cap. 1.

Tertia positio: hæ quattuor caussæ sunt inter se distinguendæ, ita vt vna non sit alia, quamuis vna ad aliam aliqua ratione reuocari, aut sub alia contineri queat. De natura & arte res est

mani-

manifesta: quod autem imitatio ab arte segreganda sit, patet: quia multi orationes, & poemata ex arte scribunt, & neminem sibi imitandum proponunt, vt Ouidius fecit: & alia sunt artis, alia imitationis præcepta. Ex quibus etiam manifeste colligitur imitationem distingui ab exercitatione, cũ multi in dicendo sese exerceant, & neminem imitentur.

Quarta positio: Nulla ex his quattuor caussis, se sola, efficit perfectam eloquentiam. De natura res est manifesta, quia nisi arte expoliatur, nihil perfectum & omni ex parte absolutum efficit. De arte, nihil est dubitandum, cum multi sint arte expoliti, sed quia ingenio tardo, & hebeti vtuntur, nihil, aut parum in dicendo proficiunt: & si tota vis esset in arte, omnes homines euaderent eloquentes, quod est falsum. De exercitatione, hæc vel naturam, vel artem supponit: & licet multum possit; tamen, si qua arte careat, fere temere adhibetur. Denique, qui artem ignorant, nunquam poterunt aliorum artificium obseruando, eos imitari. Ex quibus colligere licet, has quattuor caussas seorsim non esse perfectas, sed inter se iuuare. Huc facit id, quod aliquando sapienter docuit Plutarchus, Lib de pueris educã. *naturam absque disciplina esse cæcam: disciplinam natura destitutam, deficere: exercitationẽ vero alijs duabus demptis, imperfectam esse.*

Quincta positio: hæ caussæ, quod ad uim efficiendi ipsam eloquentiam attinet, hoc ordine videntur esse constituendæ, vt primum locum occupet natura, secūdum exercitatio, tertium ars, quartum imitatio. Quod naturæ primus locus tribuendus sit, nemo profecto negaret, modo, quid naturæ nomine intelligatur, perciperet: de qua re latius suo dicetur loco. Dicam ergo breuiter cum Antonio, Non possum equidem non ingenio primas concedere. Et in oratione pro Archia, Etiam illud adiungo, ait M. Tullius, sępius ad laudem atque virtutem naturam sine doctrina, quam sine natura, valuisse doctrinam. Quod secundus locus tribuēdus sit exercitationi, non facile a quouis concederetur: Sed nostrę sententiæ suffragatur primum eiusdem Antonij auctoritas, cum ait: Inter ingenium quidem & diligentiam, perpaulum loci reliquum est arti: & quæ sequuntur. Huc etiam pertinet illud, quod de exercitatione & vsu Crassus dixit, omnium magistrorum præcepta superare: & illud, Stylum esse optimum dicendi effectorem, & magistrum. Suffragatur etiam ratio, quia, vt disputat Crassus, eloquentia non est nata ex artificio, sed artificium ex eloquentia, ex qua nasci non potuit, nisi adhibita exercitatione, quam secuta est notatio, & obseruatio, quæ proxime artem peperit. Adde etiam, quod

Quinct. lib. 2. c. Hor. in poet.

Lib. 2. de orat. 19.

Eod. lib.

Libro 1. de Ora.

Ibidem. Quinct. li. 3. c. 2.

exercitatio dat quasi vitam arti, quam etiam perficit, & expolit.

Sed hic obijciat aliquis, quomodo exercitatio secundum locum obtinet, cum debeat artem sequi? exercemus enim præcepta, quæ prius didiceramus. Hanc obiectionem dilueres, si diceres nostram positionem intelligendam esse, non de ordine naturæ, secundũ quem ars præcedit exercitationem, sicuti gladius, præcedit gladij vsum, sed de ordine perfectionis, ratione efficaciæ, & efficientiæ; ita vt si quæratur, quid magis proxime & efficacius eloquentiam gignat, ars, an exercitatio, exercitationem, respondere debeamus. Ex quibus colligeres, duplicem esse exercitationem, alteram eloquentię naturalis, alteram artificiosæ: illa proculdubio artem præcedit, hæc vero sequitur. Quod ars debeat præcedere imitationem satis manifestum est; cum sine imitatione, aliquam eloquentiam per artem parare possimus: at sine arte, non ita. Adde etiam, quod quid imitari debeamus, sine arte cognoscere licet nemini.

Sexta positio: Caussæ efficientes eloquentiæ sunt tantum quattuor; natura, ars, exercitatio, & imitatio: vel si imitationem ad artem reuocare velis, dicas cum alijs, esse tres: verum ad nostrũ institutum cõmodius est, vt quattuor esse dicamus: cum de singulis seorsim integro libro dispu-

disputaturi simus. Et cū hæ caussæ inter se distinguātur, cogruentius est, vt seorsim numerētur.

Vltima positio: multa alia sunt, quæ cum disponant, & aliquo pacto iuuent ad eloquētiam acquirendā, vel iam acquisitam, augeant, & conseruent, caussæ eloquentiæ aliquo modo dici possunt, ac dicuntur. Vt sunt poetarum, & historicorum lectio: diligentia, cui plurimum tribuit Antonius, cuius sermo apud Ciceronē omnino animaduertēdus est; & id genus alia. Atque his positionibus præsenti disputationi satisfactū sit. Cic. in Orat. Libro 2. de Ora.

Quod autem ad argumentorū solutionem attinet; nihil est quamobrem priuatim soluantur, cum ex dictis facile solui queant, Nam, qui tres tantum caussas numerant, imitationem sub arte cōplectuntur; & si quæ aliæ assignantur caussæ, id intelligendum est iuxta vltimam positionem; & eloquentiam naturalem, conferre ad eloquētiam artificiosam, tanquam fons, & origo, negaret nemo: idque alibi planius explicabitur:

Atque hoc loco, huic libro finis a nobis fieri posset, cū de omnibus eloquentiæ caussis copiose egerimus, ni quod supra polliciti sumus nobis p̄standum esset: id nimirum, vt definitionem rhetorices ab Aristotele traditam declaremus, atque a calumnijs defendamus: quod sequenti disputatione faciemus.

Explicatur ac defenditur definitio rhetoricę ab Aristotele tradita, et noua quædam affertur eloquentiæ descriptio, Disput. X.

EX his, quæ a nobis de quattuor rhetoricæ caussis diligenter, ni fallimur, disputata sunt, primum facile intelligitur, quæ sit eloquentiæ vis, atque natura: deinde, quid sentiendum sit de varijs rhetoricæ descriptionibus supra disputatione secũda allatis, sint ne bonæ, & an defendi queant: postremo, quo pacto, si quis vellet nouam definitionem per omnes caussas conflare, per ea, quæ docuimus, id efficere ei liceret. Et cum inter omnes alias definitiones ea, quam Aristoteles optimus definiẽdi & dicendi magister, dedit, nobis probetur; propterea hac priuata disputatione, eam a ca-
Lib. 1. *lumnijs defendemus, & explicabimus. Aristo-*
cap. 2. *teles itaque rhetoricam definiens, dixit, esse facultatem videndi in vnaquaque re, quid sit idoneum ad persuadendum. Contra quam descriptionem Quinctilianus, Hermagoras, & Hermogenes his rationibus pugnant.*

Primo, videtur imperfecta, cum in ea nõ numerentur omnes eloquentiæ partes, sed solũ inuentio, quę nõ est rhetoricę propria. Deinde, hęc

descriptio non solũ rhetoricæ, sed etiam dialecticæ, quæ de omni re proposita probabiliter disserit, conuenire videtur : & ita cum non sit reciproca cum re definita, grauiter peccat.

Postea, damnatur a quibusdam, quod in ea non exprimatur aliqua certa materia, nimirum quæstio ciuilis, vt Hermagoræ placet.

Ad hęc, Quinctiliano non arridet, quia huius artis finem persuasionem facere videtur. Libro 2. cap. 15.

Adde etiam, quod potius debuit dicere esse artem, quam facultatem; cum facultas sumatur pro quouis habitu, & quauis potestate: & nos superius in artium numero collocandam esse demonstrauimus.

Denique, hæc descriptio pugnat cum ijs, quæ in fine capitis primi scripserat; vbi eam in genere scientiæ reponere videtur, cum ait: In dicendi tamen ratione æque orator censebitur ex scientia, & ex prælectione. Ob has itaque rationes, aliqui hanc definitionem, tanquam minus bonam, reijciendam esse putant: alij vero tanquam bonam approbant, vt re vera probanda est: De qua quid sentiendum sit quibusdam fundamentis & positionibus aperiemus. Lib. 1. cap. 1.

Primum fundamentũ: Rhetores & Oratores *in definiendis ijs rebus de quibus agunt, nõ sunt, nec esse debẽt ita soliciti, vt philosophi, & dialectici: ac proinde descriptiones, potius quã abso-*

lutas, & ex omni parte perfectas definitiones tradunt: quæ tamen eiusmodi esse debent, vt rē, quam explicare volunt, ab alijs rebus discernant. Quare, modo per caussas, modo per effectus, modo per partes, modo per proprietates, modo per attributa communia, modo per metaphoras, & affirmatiue, & negatiue definiunt. Quo fit, vt omnis apud eos definitio probabilis sit, modo nullam contineat particulam, quę cum rei definitæ natura pugnet, nec eam in alienam sedem trahat; aut legibus ad recte definiendum magis necessarijs aduersetur. Et hinc patet, cur Dispu.2. *vna & eadem ars a diuersis scriptoribus, vt supra docuimus, varijs modis definita fuerit.*

Secundum fundamentum: multa sunt ea, in quibus dialectica & rhetorica ab alijs omnibus artibus distinguuntur; sed nos hoc loco vnū tantum discrimen ad rem nostram maxime accommodatum, attingemus. Aliæ ergo artes, & si contrariarum rerum cognitionem attingant; cum, vt Aristoteles scripsit, contrario- Lib.1. post. *rum cognitio ad eandem pertineat scientiam; quo fit, vt qui recte lucis naturam nouit, cognoscat etiam quid sint tenebræ; & qui nouit quid sit virtus etiam quid sit vitium intelligat; & qui nouit salubria, non ignoret noxia: tamen, de eadem re in contrarias partes, nulla ars, aut scientia disputat, neque de contrarijs vtrū-*

uis habet propositum, sed alterum tantum. Vt, gratia exempli, medicina hoc vnum spectat, vt sanet, non vt perimat: at vero dialectica, & eloquentia, vt Aristoteles docet, ita in contrarias partes disputat, vt vna pars non sit magis eis proposita, quam altera. Siquidem non est magis proprium harum duarum artium rem aliquam confirmare, quam confutare, & probare esse expetendam, quam reijciendam. Propterea scriptum reliquit, aliarum artium nullam de contrarijs ratiocinari, sed id solius Dialectica & Rhetoricæ munus esse. Et hinc est, quod δυνάμεις, id est, potestates, seu facultates vocantur: id enim proprie loquendo, posse, dicitur, quod contraria potest. Ex quibus perspicue intelligere licet, quanta sit, ex hac parte, harum duarum artium præstantia, & excellentia: cum ita sint expeditæ, ac promptæ, itaque liberæ, & potentes, vt in vtramuis partem valeant decertare, & vtrumuis efficere. Quod ergo Græci δύναμιν, Latini, vim, facultatem, potestatem, & vt Fabius scribit, virtutem, dicunt.

Libro 1. Rhe. c. 1.

Lib. 2.

Tertium fundamentum: Aristotelis interpretes in explicanda hac particula, dynamis, siue facultas, non consentiunt. Nam alij, ideo rhetoricam ab Aristotele facultatem appellatã fuisse putant, quod homines ob suam præstantiã & splendorem in dignitate & potestate consti-

tuat, & honoribus dignos efficiat. Verum hæc expositio magis ambitiosorum, quam eruditorũ hominum esse videtur: quamuis re vera ij, qui hac arte floruerunt, maximos honores apud nationes omnes semper sint consecuti. Alij existimarunt eas ab Aristotele vocari facultates, quibus bene & male vti possumus: quo modo, nomine facultatis vsus est, libro primo de Moribus non longe ab extremo cum vitam beatã in facultatibus numerandã non esse dixit: quod ea, nemo abuti queat. Et quoniam manifestum est, nos posse rhetorica & dialecticã abuti, ideo eas facultates nominat. Quod si hæc expositio vera est, non modo has duas, sed etiam alias omnes artes, et sciẽtias facultates appellares. Alij, in quibus eius discipulus Alexander, hanc rationem afferunt: ideo Aristoteles rhetoricam, & alias eiusdem generis artes facultates appellat; quod non certis rationibus, sed coniecturis, & propria quadam prudentia innitantur: Quare omnes artes coniecturales, iuxta hanc expositionẽ, facultates dicerẽtur. Idem auctor, in proœmio in libros topicos, aliter hanc rem exposuit, eo nimirum modo, quem nos in extrema parte secundi fundamenti attulimus: ideo dialecticã & rhetoricam vocari facultates, quod hæ duæ tantũ, de vna & eadẽ re in vtramq; partẽ disputẽt: & hęc, est magis vera ac propria explicatio.

In lib. 1. Top. c. 2

tatio. Solēt etiam Aristotelis expositores dubitare, an in hac definitione, illo verbo, videre, cōplexus fuerit solam inuentionem, & an exclu-serit alias partes, & maxime elocutionem, ita vt elocutio, sit huic arti quasi extrinseca, & propterea parui facienda; cum id in tertio libro significare videatur. Cap. 1.

Quartum fundamentum: eloquentia, vt supra docuimus, non est quædam simplex facultas, siue habitus, sed ex multarum rerum cognitione, & quasi cumulo consurgit. Primum requirit vim quandam a natura tributam: deinde bene dicendi notitiam: quæ quinque maximis artibus, inuentione, dispositione, elocutione, memoria, ac pronunciatione conficitur: ac demum rerum omnium, vt alias demonstrabitur, cognitionem, accedente vsu & exercitatione: quibus omnibus rebus in vnum hominem coeuntibus, eum idoneum efficiunt, vt de quauis re proposita copiose, & ornate dicere possit. Quare, si quis velit explicatius eloquentiæ, naturam exponere, maiore fortasse verborum ambitu, quam simplici ac breui oratione, opus esset, cum multis rebus constet, vt expositum est. Quo etiam loco meminisse oportet eius, quod supra non semel docuimus, eloquentiam, & artem dicendi, siue rhetoricam non esse omnino idem; ac propterea eadem omnino ratione de- Disp. 3.

finiri

finiri non posse. His positis fundamentis, statuo has positiones.

Prima positio: rhetoricæ definitio ab Aristotele tradita, nullo pacto reijcienda, sed tanquam optima recipienda est. Probabitur hæc positio tum ex confutatione argumentorũ, quæ contra eam fuerunt allata: tum etiam ex eius explicatione, quam sequentibus positionibus afferam.

Secunda positio: Facultas, in hac definitione ponitur loco generis: Est enim hoc nomen commune rhetoricæ cum dialectica, vt ex fundamentis patet: & si paullo latius sumatur, est etiam communis cum omnibus alijs artibus. Dixit autem potius esse facultatem, quam artem, vt magis proxime eius genus ac naturam attingeret, cum sit quædam ars, quæ rationem facultatis habet.

Tertia positio: Facultas, in hac definitione sumitur in ea significatione, quam supra, fundamento secundo, et tertio exposuimus; hoc est, vt designat artem ad vtramuis quæstionis partem tractandam accommodatam. Nullo itaq; modo placet, quod in hunc locum ait Maioragius, ideo Aristotelem rhetoricam appellasse facultatem, quia non est proprie ars, cum, vt supra statuimus, sit vere & proprie ars. Hanc vocem, eadem ratione, vt nos diximus, ab Aristotele

stotele vsurpari, docet Eustratius in suis Commentarijs in Ethicam Aristotelis non vno in loco: immo ipsemet Aristoteles idem non obscure libro primo de arte dicendi significauit. Li. 1. in cap. 2. Lib. 5. post pri. Cap. 1.

Quarta positio: Cum Aristoteles ait, rhetoricam esse facultatem videndi quid sit aptum ad persuadendum, explicuit eius naturam per officium, quod in vnaquaque arte ex fine perpenditur: Finis autem rhetoricæ, vt capite primo docuerat, est persuadere. Sed ad huius positionis explicationem animaduertendum est, Aristotelem in sua definitione posuisse verbum θεωρῆσαι. i. contemplari, & in explicando officio, verbum, ἰδεῖν. i. videre, & intueri. Rursus animaduertendum est, in explicãdo huius artis officio, dixisse, munus artis esse intueri caussam, cur homines finem consequantur: vnde colligitur, rhetoricæ officiũ in eo positum esse, vt contempletur, ac videat caussam, ob quam, qui dicunt, fidem faciant. Et ex his patet, id quod in hac positione docemus. Cap. 1.

Quincta positio: Cum Aristoteles, in sua definitione posuit hæc verba, quid in vnaquaque re, iudicauit huius artis materiam, res videlicet omnes, vt disputatione septima docuimus: ex quo loco patet quo modo hæc particula exponenda sit.

Sexta positio: illa particula, persuasibile, huius

ius artis finem, à quo officium perpendendũ est, exposuit. Ex quibus colligere licet hanc definitionem esse optimam, cum quid sit rhetorica per eius genus proximum, officium, materiam, ac finem, quæ particulæ loco differentiæ ponuntur, exponat.

Septima positio: Aristoteles in hac definitione non exclusit alias rhetoricæ partes, quas tanquam notas, prætermisit; ne nimis longam definitionem texeret: & ita satis fuit primam exprimere, quæ est aliarum princeps, & origo. Si modo per illud verbum, contemplari, seu videre, voluit intelligere inuentionem: neque enim vsus est verbo, inueniendi; quo fit, vt quidam male hunc locum traducant, dum pro verbo videndi, inueniendi ponunt, ni, verbum videndi, pro verbo inueniendi, posuisse dicas. Quod Aristoteles noluerit ceteras partes excludere: patet primum ex eius melioribus ex-
Pe. Vict. *positoribus. Ita Petrus Victorius, M. Antonius Maioragius, Antonius Riccobonus, & alij. Deinde, quia Aristoteles non solum egit de inuentione, sed etiam de elocutione, & dispositione: & de actione, dixit esse vtilem. Quod si ha-*
Li. 3. c. 1. *sce ambas partes parui faciendas esse aliquando significasse videtur, id non dixit, vt has reijceret; sed vt eos sugillaret, qui de inuentione, quæ est præcipua rhetoricæ pars; vnde*

proba-

probationum nerui sumuntur, nihil scribebant: cum elocutio, & actio, ex quadam auditorum prauitate, quia non sunt ita affecti, vt simplici probatione & actione sint contenti, necessariæ sint. Censentur itaque istæ partes extraneæ, si caussa de qua agitur spectetur; non autem, si oratio ipsa, quæ ad popularem sensum debet esse accommodata, consideretur. Quare, non placet, quod aliquando in huius loci explicationem Robortellus scripsit, Aristotelis verba non ad elocutionem, vt censuit Victorius, sed ad actionem esse referenda. Robort.

Sed restat hic scrupulus; qua ratione in hac definitione includatur elocutio. Victorius existimat his nominibus, πιθανὰ, πιθανὸν, inclusam esse vim & vsum verborum, quæ ad elocutionem pertinent. Maioragius ait, verbo videndi, seu inueniendi, significari inuentionem rerum & verborum, quæ elocutione tractantur. At Riccobonus acutius vidisse videtur; dum ait, verbo, videndi, & contemplandi, includi omnia quæ sunt accommodata ad persuadendum ad quod reliquæ etiam partes necessariæ sunt. Atq; per has positiones, facile, ni fallimur, Aristotelis definitio, intelligi ac defendi potest: a qua non multũ differt, illa, quam attulit Plato, cum dixit, Rhetoricam esse facultatem persuadendi, hoc est, vim, quæ omnia quæ dicit ad

cit ad persuadendum refert. Sunt etiam bonę definitiones illæ, quas disputatione secunda approbauimus. Quod si quis vellet eloquentiam paullo explicatius describere, ex his quæ hactenus a nobis disputata sunt, talem definitionem conficeret.

Rhetorica, seu Eloquentia est facultas natura, arte, & exercitatione comparata, qua de vnaquaque re proposita, ornate & copiose ad popularem persuasionem apte dicitur. In hac descriptione ponitur prius genus rhetoricæ, id est facultas: cętera particulæ locum tenent differentiæ: quarum prima, natura, arte, & exercitatione, explicat caussas effectrices eloquentiæ: secunda, qua de vnaquaque re, materiam: tertia, ornate et copiose, & apte dicitur, officiũ, & formam: postrema, ad popularem persuasionem, finem. Per artem autem, non solum intelligimus artificium dicendi, quod quinque partibus constat, sed etiam omnes alias artes, cum hac facultas non reperiatur nisi in eo, qui sit omnium rerum cognitione peritus.

Cic.li.1. de Orat.

Ex his quæ adnotauimus, & ex declaratione definitionis Aristotelis, facile argumenta contra eam allata dissoluuntur. Non debet censeri imperfecta definitio, quia satis fuit explicare principem partem, per quam etiam aliæ intelliguntur. Neque in aliam rē hæc definitio transferri

ferri

ferri poteſt, vt ex iјs, quæ diſputata ſunt eſt manifeſtum. Quod dicitur de materia, facile confutatur, cum explicetur propria materia, vt ex dictis conſtat. Quantum autem erret Quinctilianus, dum eam non approbat, quia finem in perſuaſione ſtatuit, ſuperius abunde docuimus: Cur potius facultatem, quam artem eſſe dixerit, in tertia poſitione aperuimus. Poſtremę argumentationi hunc in modum ſatisfaceres. Eius loci, quem non ſatis clare vertit Trapezuntius, hæc eſt ſententia. Cum Ariſtoteles ſupra dixiſſet, ad vnam & eandem facultatem pertinere conſiderationem πιθανῶν, ideſt perſuaſibilium, & eorum quæ φαινόμενα πιθανὰ, ideſt perſuaſibilia videntur, vt ſunt, quæ facile refelli poſſunt; dixit Sophiſtam, fallacem nimirum et captioſum diſputatorem, verſari circa huiuſmodi captioſas rationes, non ex facultate.i.ex ipſa artis natura, quæ et veras, & fallaces cognoſcit rationes; ſed ex voluntate, quia ſponte, & fallendi ſtudio, his apparentibus rationibus ad decipiendum vtitur. In hoc itaque verus diſputator, hoc eſt Dialecticus, a Sophiſta diſcernitur, quod ille fallaces rationes cognoſcit, ſed eis non vtitur, hic vero vtitur. Pari ratione in rhetorica ſunt oratores, qui ex ſcientia oratores vocantur, quia norunt probabilia, & quæ videntur, & non ſunt probabilia, ſed his non

Cic. in Lucul.

vtuntur: alij vero sunt oratores, qui ijs etiam vtuntur; quibus in arte dicendi non est impositum nomen distinctum, vt in Dialectica; & ita in Rhetorica æque appellatur orator, qui has fallacias nouit, & eis vtitur, ac is, qui nouit, & non vtitur. Atque hæc est loci alias obscuri, sententia. Et quoniam his decem Disputationibus plene Rhetoricæ naturam explicuimus, & id, quod polliciti sumus persoluimus, huic libro finem faciamus.

Finis Libri Primi.

D E

DE ARTE DICENDI

LIBER SECVNDVS:

De partibus Rhetoricæ.

An Rhetorica vllas partes habeat, quæ illæ sint, Disputatio Prima.

QVONIAM *inter alia, quę ad consequendam perfectam scientiam eius rei de qua instituta est disputatio, est partium notitia; vt non vno in loco optimus Philosophus, ac dicendi magister docuit Aristoteles; propterea, exposita superiore libro natura, principijs, caussisq; eloquentiæ; sequitur vt ad* Libro 1. Physic. tex.1.

eius partes explicandas nostra sese conuertat disputatio. Et quamuis nemo hactenus, quod sciam, hanc a nobis propositam difficultatem examinauerit: tamen, cum hæc controuersia sit huius libri basis, ac fundamentum, idcirco eam priuatim proponere diligenterq; tractare nobis visum est. Et licet apud omnes rhetoricæ professores certissimum sit, hanc facultatem quasdam habere partes: tamen, disputandi caussa, quibusdam argumentis, eam omnibus partibus spoliare contendam. Quod igitur nullę sint rhetoricæ partes, hunc in modum demonstro.

Primum, si quas hæc facultas partes habet, eæ profecto erunt, quas omnes Scriptores numerant: inuentio, dispositio, elocutio, memoria, & pronunciatio: sed hæ singulæ partes sunt aliarum artium propriæ; vt inuentio & dispositio dialectices, memoria iurisprudentiæ, pronuntiatio, histrionicę, & elocutio est communis Rhetoricæ cum poetica: Quare hæc dicendi doctrina nullam propriam habebit partem: cum vna & eadem res, non possit diuersarum rerum esse particula.

Deinde, eloquentia est vna simplex facultas, qua quid sit in vnaquaque re aptum ad persuadendum videtur: nullas igitur habebit partes; cum ea, quę sunt simplicia partibus omnino careant. Quare, sicuti dicimus iustitiam

esse

esse simplicem animi virtutem, qua cuique suũ tribuitur, & prudentiam esse rationem quandam, qua, quæ nobis agenda sunt metimur: idem de vi facultateque dicendi affirmandum erit: cum ergo sit simplex qualitas nullas habebit partes. Instit. li.1.ti.1.

Præterea, quæ ad Oratoris officium pertinent, nemo eloquentiæ partes appellaret: sicuti nemo prudens, quæ Grammatici officium constituunt, partes diceret esse Grammatices; cum alicuius rei partes, non sint eiusdem rei munera: atqui, inuenire, disponere, eloqui, memoriæ mandare, ac pronuntiare, vt magistri dicendi tradunt, sunt quinque oratoris munera; quomodo igitur esse possunt Rhetoricæ partes?

Postremo, ea proprie dicuntur habere partes, quæ mole constant, quæ dimensionem habent, vt sunt res crassæ & corporatæ: vt patet in ædificio, cuius partes, sunt fundamenta, parietes, & tectum: at eloquentia omni crassitie caret, cum sit quædam qualitas, quæ est genere distincta a quantitate: qua igitur ratione ei partes vllas assignare possumus? Atq; hæc ad demonstrandam huius disputationis difficultatem, argumenta attulisse sufficiat. Et quoniam in hac proposita disceptatione nullę sunt, quod sciam, Scriptorum diuersæ sententiæ; ideo sola explicatione opus erit: atq; ita quibusdam

fundamentis, quid de re proposita sentiendum sit, exponam.

Primum fundamentum: cum in hac disputatione de partibus eloquentiæ nobis agendum sit, quid nomine partis intelligere debeamus prius docere oportet: quod ad alias quæstiones explicandas erit maxime vtile. Nomine ergo partis, id M. Tullius significare solet, quod Philosophi, species, appellant; formas nimirum, ac naturas, quæ alicui generi subiectæ sunt; ratione quarum, genus, totum appellatur. Virtus ergo erit quasi quoddam totum, quod vniuersale dialectici vocant; iustitia vero, fortitudo, temperātia, & prūdentia erunt partes ei subiectę, quas subiectiuas vulgo appellant. Rursus, nomine partis magis proprie, ea designantur, ex quibus res aliqua conficitur, vt sunt materia & forma, et gratia excēpli, in homine corpus et anima: quas, philosophi, partes essentiales nominant. Prętera, adhuc pressius, partes dicuntur eæ, in quas moles, siue rei quātitas diuiditur, aut diuidi potest; quæ in animalibus, nominatim, membra vocantur: vt in homine caput, brachia, & pedes, & in domo fundamenta, parietes, & tectum: quarum pārtium coitione fit aliquod integrum corpus; ac propterea, vulgo, partes integrales nominantur. Denique, hoc nomen, pars, designat vires, ac facultates, seu, vt loquuntur, quātitatem

In Top. & part. Libro 1. de Ora.

virtu-

virtutis: quo modo tres dicimus eſſe animæ intelligentis partes, rõnem, memoriam, & voluntatem; & maiorem eſſe Solis lucem, quã Lunæ, diuiniq; numinis vim eſſe infinitam. Quare, hæ virtutis, & qualitatis partes dicuntur, ſicuti, quę molem includunt, partes quantitatis nominantur: quę vel ſunt eiuſdẽ rationis, vt partes ligni, aquę, & oſſis, quas Grœci ὁμογενεῖς, nos cognatas, ſeu eiuſdẽ generis, appellare poſſumus: vel diuerſæ rationis, vt caro, oſſa, & nerui, in corpore animato, quas Grœci ἑτερογενεῖς, nos multigenas, appellaremus. Harum denique partiũ, aliæ ad rei conſtitutionem ſunt omnino neceſſarię, quibus ſublatis res tota perit, vt in animali caput, & in domo parietes; alię ad rei integritatem conferunt, vt in homine, digiti & manus. In hac ergo diſputatione, non quærimus de partibus, prout pars ſumitur pro forma, ſiue ſpecie; neque de partibus, ex quibus res aliqua intrinſece conficitur, neque etiam de partibus quantitatis, ſi quantitas proprie ſumatur, ſed de partibus qualitatis & virtutis; ita vt hęc ſit huius quæſtionis ſententia: An Rhetorica, ſeu Eloquentia habeat quaſdam virtutis partes, & quaſi membra, ex quibus conſletur; ſine quibus, vel conſiſtere non queat, vel ſit manca, & decurtata. Agric. li. 1. c. 9.

Secundum fundamentum: & ſi omnes artes

inter se natura, pręceptis, et finib. distinctę, atq; dissociatæ sint: tamē, vsu & exercitatione non nullæ artes ita sunt inter se connexæ, & copulatæ, vt vna sine alia consistere non possit. Alia enim est ars lapicidæ, alia fabri tignarij, alia ædificatoris, & alia fabri ferrarij: verum hæ artes quod ad vsum attinet, ita sunt colligatæ, vt vna egeat alia: vel quia materiam pręparat, vt ars tignaria ei quæ ędificat, lignum: vel quia instrumenta subministrat, vt faber ferrarius multis artibus malleos, & alia instrumenta ferrea; & quę frena facit, equestri frenum; vel aliqua alia ratione iuuat. Quod de artibus effectionis diximus, idem de artibus cognitionis affirmare licet. Nam, Logica eget Grammatica: Philosophiæ necessaria est Logica: & Theologię opus est Philosophia: cum ex his vna sine alia non satis bene percipi, atque cognosci queat. Huc facit hęc Crassi apud Ciceronem sententia: Est etiam illa Platonis vera, & tibi Catule certe non inaudita vox, Omnem doctrinam harum ingenuarum, & humanarum artium, vno quodam societatis vinculo contineri. Et quamuis id quod diximus verum sit, artes videlicet omnes inter se iuuare, & vnam ab alia aliqua ratione pendere; tamen, vt affirmare non licet, eam artem, quę alteri quoquo modo inseruit,

Aristot. li. 1. Eth. cap. 1.

Libro 3. de orat.

seruit, esse illius partem; veluti Grammaticam dialectices, & philosophiam, Theologię; ita non est negandum aliquam facultatem esse posse alterius facultatis veram & propriam partem: quod quidam minus eruditi, de his eloquentiæ partibus negarunt: existimantes eas esse quidem vsui rhetoricę, sed non esse partes, ex quibus ipsa confletur. Id itaq; a nobis hoc loco explicandum est, an hę quinque, aut ex his aliquę, sint eloquentię partes, quibus integra & absoluta reddatur; an vero solum sint quasi eius ministrę, & ancillæ. Vt aũt id planius explicetur, aliud subijciemus fundamentũ.

Tertium fundamentum: vt facile intelligi queat, num istę omnes partes ad vnam perfectam eloquentię artem conficiendam coire debeant, animaduertendum est ex Galeno libro de arte valetudinis tuendę, quę sint cuiusque artis propria, ex ipsius artis fine spectandum esse. Quoniam, quę ad finem consequendum sunt simpliciter necessaria, artis propria esse censentur, & ex illis ars proxime confici putatur: quę vero nihil conferunt, aliena sunt ab arte, & ad eam constituendam & conseruandam non sunt necessaria. Eandem doctrinam ad alicuius artis partes constituendas nos transferri posse existimamus: vt illę cuiusque artis partes sint dicendę, quę per se spectant Cap. 28.

ad finem consequendum, & ad id emolumentū afferunt; quibus sublatis ars nec consistat, nec finem attingat. Et quoniam, vt sæpe diximus, eloquentiæ finis, est persuadere, ad quem adipiscendum omnes istæ partes, ex se, referuntur, ac necessariæ sunt, fatendum profectò est, ita eas esse cum eloquentia coniunctas, & eloquentiam ita ab illis pendere, vt non solum vna, vel altera sublata, dicendi facultas manca, multilata, ac decurtata, infirmaque sit, sed etiam his priuata præsidijs, nulla ratione cōsistere queat: non secus ac si domui parietes, vel fundamentum detraheres. Nemo itaque existimare debet, eloquentiam ab his quinque facultatibus aliqua tantum ratione iuuari; & ita sese ad eas habere, vt se habet exempli gratia, Grammatica ad alias artes, quibus adiumento esse potest, vt Dialecticę & Rhetoricę; cū Grammatica ex se, suaq; natura, non referatur ad aliarū artium fines, neque ex ea, tanquam ex vna parte, conflentur, quamuis illis inseruiat. At vero hę quinque facultates, inuentio scilicet, dispositio, elocutio, memoria & pronunciatio, ex sua natura, sunt omnino ad persuadendum necessarię; ita vt ex his omnibus vna integra, & absoluta conficitur eloquentiæ facultas: sicut ex fundamentis, parietibus, & tecto, fit domus: vt clarius sequentibus disputationibus explicabitur. His

Li. 1. disput. 8.

ita

ita iactis fundamentis propositæ dubitationi his positionibus satisfacio.

Prima positio: Rhetorica, siue eloquentia non habet partes, si nomen partis sumatur pro ea re, quæ molem & magnitudinem significat. Quoniam, vt ex primo libro constat, Rhetorica non est in genere quantitatis, sed qualitatis, cũ sit habitus quidam: quo qui est præditus, non quantus, sed qualis proprie nominatur.

Secunda positio: Si nomeñ partis sumatur pro forma, siue specie, rhetorica nullas habet partes. Siquidem est habitus quidam, seu species vltima in genere artis: sicuti, & homo, in genere animalis; cum homo sub se nullam aliam habeat speciem.

Tertia positio: si nomen partis sumatur pro parte essentiali, & intrinseca, Rhetorica habet partes, quæ sunt eius materia & forma, (eo tamen modo, quo materia & forma in hoc rerum genere esse potest) de quibus primo libro disputatum est.

Quarta positio: Eloquentia habet partes; si nomen partis per catachresin sumatur pro qualitate, & habitu. Conficitur enim, vt patet ex ijs, quæ adnotata sunt, ex varijs habitibus, & qualitatibus, nimirum ex habitu inuentionis, dispositionis, elocutionis, memoriæ, & actionis: vt clarius patebit, cum de singulis instituta fue

rit

rit disputatio. Huc facit quod aliquando M. Tullius dixit eloquentiam quibusdam rebus constare; quibus in singulis elaborare permagnum est.

Quincta positio: hæ quinque partes ita sunt necessariæ ad rhetoricam conficiendam, vt vna, vel alia deficiente, non modo manca & mutilata sit; sed etiam nullo modo consistere queat. Quare, sicut fundamentum, parietes, & tectũ, adeo sunt necessaria ad domũ constituendam, vt vna ex his partibus sublatis, domus nulla sit futura, ita eloquentia, siqua ex his partibus priuetur, nulla erit. Hæc positio intelligenda est de rhetorica vt significat artem ipsam, & vim facultateque dicendi, quæ in foro versatur.

Sexta positio: Exordium, narratio, propositio, confirmatio, atque peroratio, non sunt dicendæ partes rhetoricæ, seu eloquentiæ, sed partes orationis, qua, tanquam quodam instrumento, ad suum finem consequendum vtitur orator,

Mazon. *Hoc dixerim contra quendam modernum Scriptorem, qui agens de eloquentiæ partibus, has putat esse partes quantitatis eloquẽtiæ. Et quoniam nostra positio ex se est satis manifesta, & & alio loco latius demonstranda, non est necesse cur in ea confirmanda nunc diutius immoremur.*

Septima positio: tria caussarum genera non sunt appellanda partes rhetoricæ, vt non nulli

Scripto-

Scriptores faciunt. Quoniam hæc tria genera potius pertinent ad materiam rhetorices, & ita non sunt eius partes, vt nunc de partibus quærimus.

Georg. Vale. in Top.Ci. Hieron. Capil.in Rhet.ad Herẽ. c. de rem. crimin.

Octaua positio: hæ quinque facultates ex quibus conflatur rhetorica, potius eius partes & membra, appellari debent, quam opera, & elementa. Doctrina est Fabij libro tertio capite tertio in fine. Nam opera proprie dicuntur effecta, & elementa, ea quæ rem inchoant, & non absoluunt; at vero hæ facultates rhetoricam absoluunt, & non sunt eius effecta: igitur.

Et quoniam per hasce positiones satis positæ disputationi est factum, restat vt argumentationes in contrarium allatas dissoluamus.

Prima ratio diluetur a nobis sequentibus disputationibus, cum de singulis partibus agemus: nunc autem breuiter dicimus, etiam si alię artes his partibus vtantur; tamen, quia diuerso modo, & ad alium finem vtuntur, & eloquentia priuata quadam ratione his facultatibus indiget, ita vt sine eis nequeat consistere; ideo priuatim eius partes esse dicuntur.

Secunda facile soluitur, negando parem rationem: nam, licet iustitia sit vna simplex qualitas; non tamen idẽ affirmare licet de eloquentia, quæ, vt aliquando M.Tullius dixit, ex omnium rerum cognitione & dicendi artificio constat.

Libro 1. de Ora.

ſtat. Sed de habituum ſimplicitate, ſeu compoſitione, non eſt hic locus diſputandi latius.

Tertia ſoluitur hac adhibita diſtinctione: inuentio, diſpoſitio, & aliæ eloquentiæ partes duplici modo conſiderari poſſunt: primum, vt ſunt habitus quidam in animo, ex quibus oritur facultas dicendi apte ad perſuadendum; & ſi hoc modo conſiderentur, eloquentiæ partes eſſe cenſentur: altero modo, ratione vſus, prout is, qui his facultatibus eſt ornatus, debet eas exercendo, inuenire, diſponere, eloqui, memoriæ mandare, ac pronuntiare, & hoc pacto, oratoris conſtituunt officium. Hac itaque diſtinctione facile allata ſoluitur argumentatio.

Quo autem modo poſtrema ratio diluẽda ſit, ex dictis perſpicuum eſt: quare nihil eſt cur ad eam quicquam ſpeciatim dicamus.

An rhetoricæ partes ſint tantum quinque, Diſputatio II.

CVM *ergo eloquentia quibuſdam conſtet partibus, vt proxima diſputatione conſtitutum fuit: nunc alia exoritur, de iſtarum partium numero, difficultas, quam in præſentia explicandam proponimus. Quod autem huius facultatis partes ſint plures, vel paucio-*

res,

res, his rationibus perſuaderi poſſet.

Principio, tot ſunt partes rhetoricæ, ſeu eloquentiæ, quot ſunt facultates, quæ ad eam conficiendam ſunt neceſſarie, vt patet in humano corpore, quod tot dicimus conſtare partibus, quot ad ſui conſtitutionem indiget: at eloquentia ex omnium artium & ſcientiarum cognitione conflatur, vt nos conſtanter defendimus, & Cicero nullibi non docet: igitur per nos plures, quam quinque habebit partes; tot nimirũ, quot ſunt artium, & ſcientiarum genera.

Deinde, omnis oratio, vt non vno in loco ſcriptum reliquit Tullius, ex duabus conficitur rebus, ſententijs videlicet, & verbis: duas igitur tantum agnoſcere debemus eloquentiæ partes, ſententias, & verba: & hinc eſt, quod bene dicere, quod Oratoris eſt proprium, nihil aliud eſt, quam optimis ſententijs lectiſſimiſque verbis dicere. Lib. 2. de Ora.

Poſtea, tria, vt multis in locis Romanus Orator docet, Oratori videnda ſunt, quid dicat, & quo quidque loco dicat, & quo modo: quare ſummus dicendi magiſter tres tantum agnoſcere videtur rhetoricæ partes, inuentionem, elocutionem, & pronunciationem.

Poſtremo, ne plura huc argumenta conferã, cum plura in ſingulis diſputationibus allaturus ſim, iudicium eſt maxime neceſſarium Oratori, & for-

& fortasse multo magis, quam vlli alij artifici; igitur faciet sextam rhetoricæ partem, vt aliqui voluerunt.

Lege Quinct. li. 3. c. 3. *Quod ad opiniones attinet, aliqui existimarunt duas tantum esse eloquentiæ partes, nimirum elocutionem, & pronunciationem: quam opinionem quidam noui nouarum opinionum cupidi Scriptores, defendunt.* Pe. Ram. *Alij solum tres partes ei tribuendas esse voluerunt, inuentionem, dispositionem, & elocutionem: ita Albutius non obscurus huius artis professor. Alij quattuor esse statuerunt, inuentionem, dispositionem, elocutionem, & memoriam: quam enumerationem docebat Trasymachus.* Lib. 3. *Alij vero quinque, addendo etiam actionem: ita Fabius, & est communis Rhetorum sententia, vt postea dicam. Denique alij statuerunt esse sex, existimantes iudicium esse vnam partem ab alijs seiunctam.*

Quo loco illud animaduertendum est, in enumeratione harum partium varios esse loquendi modos, siue plures, siue pauciores numeres. Anton. Pin. in Quint. *Nam Dion has numerabat, inuentionem, dispositionem, memoriam: ad quas hic auctor alias, quadam sua ratione, accommodabat: quod latius exponere, nihil est necesse. Theodori sectatores has partes ponebant, inuentionem, quã diuidebant in inuentionem rerum & verborũ,*

quod

quod etiam aliquando Cicero fecit, dispositionem, memoriam, & actionem. Denique, Hermagoras has statuit partes, iudicium, partitionem, ordinem, & œconomiam, cuius sententia quo modo accipienda sit, nihil est necesse augurari, cum eius scripta non exstent. Quid autem in tanta sententiarum varietate sentiẽdum sit, cum nihil hic notandum occurrat, vnica positione nunc aperiemus, & postea singulis disputationibus planius totam hanc materiam explicabimus.

Anton. Pinu in Quint. lib.c.3.

Sit itaque vnica positio: Eloquentiæ partes sunt quinque, inuentio, dispositio, elocutio, memoria, & pronuntiatio. Hæc doctrina probatur primum communi Rhetorum sententia, quę hunc numerum, & has partes, quas diximus agnoscit. Ita M. Tullius multis in locis, sed vnus vel alter, vbi singulas connumerauit, sit instar omnium. Cumque esset, ait M. Crassus, omnis oratoris ius, ac facultas in quinque partes distributa; vt deberet reperire primũ, quod diceret: deinde inuenta non solum ordine, sed etiam momento quodam, atque iudicio dispensare, atque disponere; tum ea denique vestire, atque ornare oratione; post memoria sepire; ad extremum agere cum dignitate & venustate. Alibi: Denique quinque faciunt quasi membra eloquentiæ, inuenire quid dicas; inuenta dispo-

Libro 1. de Ora.

Libro 2. de Ora.

disponere: deinde ornare verbis: post memoriæ mandare: tum ad extremum agere, ac pronunciare. Lib. I. *Eandem enumerationem agnouit au-* Lib. 3. cap. 3. *ctor ad Herennium: eandem Fabius, qui etiam contrarias opiniones confutauit: eandem inter recentiores Trapezuntius, & multi alij, quos breuitatis caussa missos facio.*

Ad has auctoritates accedat etiam ratio: his tantum partibus, nec pluribus, nec paucioribus redditur perfecta eloquẽtia, ita, vt si quã ex his demas, consistere non possit, si quam addas, illa sit superuacanea; igitur, tot erunt, quot diximus, nec plures, nec pauciores. Quod sumptum fuit verum esse demonstratur ex M. In Bruto. *Tullio, qui loquens de Sulpitio & Antonio magnis Oratoribus, ita scribit: Sed ij tamen vnum illud habebant dicendi opus elaboratum: idque cum constaret ex quinque notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum nihil poterat, in quacunque enim vna plane claudicaret, Orator esse non posset: & quæ sequuntur. Sed illud antecedens planius demonstrabitur hac tertia ratione.*

Tertio itaque loco confirmatur allata positio Lib. I. disp. 8. *ratione sumpta a fine eloquentiæ: Oratoris finis, vt alias docuimus est persuadere: ad cuius finis consecutionem vtitur oratione, quasi instrumento quodam: sicuti miles equo & armis*

ad obtinendam victoriam: Oratio autem, vt Tullius scribit, constat rebus, siue sententijs, & verbis. Res itaque primum necessariæ sunt, quæ non possunt persuadere, nisi in animos auditorum influant: influere nequeunt, nisi verbis, quasi quibusdam vehiculis inferantur: Res & verba, nunquam habebit Orator, nisi inuentionem adhibeat, qua sibi rerum & verborum copiam comparet. Est igitur necessaria ad persuadendum inuentio. Et quoniam sententiarum non eadem est ratio; cum aliæ, tanquam suaues, sint apte ad conciliandum, & delectandum: aliæ, tanquam robustæ, & neruosæ, idoneæ ad commouendum: aliæ vero, tanquam veræ & certæ, aut probabiles, accommodatæ ad docendum; quæ sunt tria oratoris munera; quæ non in eadem orationis parte, neque in quouis eiusdem partis loco, sunt adhibenda; hinc fit, vt præter inuentionem, eorum quæ inuenit collocatio, ac dispositio, Oratori persuadere volenti, sit maxime necessaria. Itaque, cum ea, quæ inueniuntur sint inter se varia, ac diuersa, certa quadam ratione, suis locis, vt ad persuadendum valeant, Orator collocare debet: non secus, ac facit Imperator, qui suos milites ad victoriam obtinendam certa ratione distribuit. Quamobrē sicuti ad victoriā obtinendā non satis est multos

Libro 2. de Ora.

Cic. lib.

Quinct. *milites congregasse, ni in acie, vt ars militaris efflagitat, collocentur; pari etiam ratione, quæ inuenta & excogitata sunt, parum ad persuadendum valerent, ni suis in locis collocaretur idonee. Inuentæ igitur sententiæ certa quadam ratione distribuendæ sunt. Et quoniam res inuentæ & distributæ, nihil possunt persuadere, nisi verbis vestiantur, & exornentur, atque ex vtrisque vna fiat integra & perpolita oratio, opus erit exornatione, quæ potissimum sita est in selectu, collocationeque verborum, quæ cum debeant esse accommodata rebus, certis in locis idonee, atque concinne collocari debent. Siquidem verba, sicuti & sententiæ, varia ac diuersa sunt; cum alia sint aspera, alia suauia; alia propria, alia translata; alia grandia, alia humilia; alia longa, alia curta; alia consonantiora, alia minus sonantia; alia familiaria, alia recondita; alia denique vniuersa, alia singula: quæ ni suis in locis fuerint posita, orationem non efficient rotundam, suauem, ac fluentem, quæ facile aures demulceat, & animos commoueat. Est igitur Oratori omnino necessaria exornatio, siue elocutio, qua vnaquæque res & sententia concinne, politeque dicatur. Parum enim valeret ad persuadendum res inuenisse, & disposuisse, nisi verbis, quasi coloribus pingerentur, luminibus illustrarentur, & schematibus*

exor-

exornarentur, cum inculta, incompta, & incōcinna oratio, aures non demulceat, nec in animos auditorum sese insinuet. Quod si res prudenter inuentæ, & sapienter dispositæ, & artificiose exornatæ memoria non contineantur, sed vel statim effluant, aut cum difficultate promantur, nihil idonee ad persuadendum dici poterit. Habui ego præceptorem ad inueniendum sagacissimum, ad disponendum sapientissimum, & ad exornandum artificiosissimum, & tamen, quia memoria erat destitutus, quæ sagaciter inuenerat, prudenter disposuerat, & apte exornauerat, confundebat, & nihil apte ad docendum & delectandum dicebat. Maneat igitur fixum, oratori persuadere volenti, necessariam esse memoriam, qua res inuentas, dispositas, & exornatas complectatur, & conseruet, vt inde, quasi e quodam penu eas promere suo tēpore queat. Et quoniam hæc omnia inclusa sunt in animo, nec possunt in aliorum mentibus persuasionem gignere, nisi promantur; erit profecto, præter iam dicta, oratori necessaria pronuntiatio, quæ res memoria comprehensas, quasi quodam vehiculo ad aures auditorum deferat, & quæ animo delitescebant in lucem proferat. Et quia pronuntiatio cum elocutione, quadam naturæ societate, est coniuncta, cum nihil eloqui possimus, nisi pronunciemus; hinc est, quod a M. Tul-

lio elocutionis comes apte nominata fuit. Cum itaque Orator in publica luce versari, & in hominum conuentu sermonem habere debeat; & humanus sermo, quo mentis sensus aperiuntur, verbis & sententijs conficiatur, & res inuentionem, & verba elocutionem requirant, & tam res quam verba suis locis collocanda sint; & ad alios nisi memoria contineantur, & enuncientur, peruenire nequeant, profecto Orator suum finem nunquam assequetur, nisi graues sententias inuenerit, distribuerit, exornauerit, memoriæ mandauerit, & tandem pronuntiauerit. Et sane, quo nam modo orationem, qua veluti quodam instrumento Orator ad finem suum attingendum vtitur, conficiet, ni adsit inuentio? & si inuenta temere atque confuse posuerit, quonam modo docebit? & si ineleganter, inconcinneq; eã construxerit, qua ratione delectabit? & denique, ni memoriæ commendet, vt postea cum quadam venustate & decoro pronuntiet, quo pacto mouebit?

Hæc, quæ dicta sunt, explicare possumus simili sumpto ab eo, qui vellet conuiuium instruere, qui primum cibos idoneos, & accommodatos ijs, quibus condixisset, pararet: deinde eos certa quadam ratione in varios missus distribueret, ac denique quibusdam salsamentis. & aromatibus condiret. Est & illud simile, de eo, qui domũ

fabri-

fabricare vellet, qui lapides & cęmenta congregaret, & congregata distribueret, domumq; conficeret, atque exornaret.

Maneat itaque certum ex his quæ diximus, quinque esse eloquentiæ partes, nec plures, nec pauciores, & eas esse, quas numerauimus; cum sine his consistere non possit, & his positis, integra atque perfecta existat, vt nulla alia ei sit opus parte. Restat igitur, vt quas in contrariũ attulimus rationes, eas nunc soluamus.

Quod igitur ad primam rationem attinet, cõcedimus quidem omnes artes in Oratore requiri, sed quia illarum habitus sunt proprij aliorum artificum, ideo non censentur partes eloquẽtię, sicuti hæ quinque, quæ sunt Oratori maxime proprię. Diceres etiam has quinque facultates speciatim esse partes rhetoricæ, quia ipsa harũ partium pręcepta & doctrinam tradit. Eloquẽtiæ vero, quatenus his quinque habitibus ad orationem construendam, & habẽdam vtitur, quibus aliæ artes ad hunc finem non vtuntur. Vel si placet, dicas, & fortasse melius, ceteras omnes artes ad has quinque partes reuocari, prout priuatim, vel inuentioni, vel dispositioni inseruiunt.

Secundæ rationis facilis est solutio: quoniam verba & res non eloquentiæ, sed orationis, quæ ab eloquentia conficitur, partes putandæ

O 3 sunt:

sunt: at nos hoc loco de partibus eloquentiæ disputamus.

Neque tertia aliquid necessario concludit: siquidem, cum M. Tullius ait illa tria Oratori esse videnda, tres quidem partes insinuat, sed ceteras non negat: sicuti nec cum ait, esse duas, quarũ altera ornate, altera apte dici postulat. Enumerat autem solum tres partes, quia eas proxime expositurus erat, quæ ad ipsam orationem conficiendam requiruntur, vt sunt inuentio, dispositio, & elocutio, quæ significatur per illa verba, quo modo.

Libro 2. de Ora.

Quid de vltimo argumento dicendum sit, postea integra disputatione examinabitur. Cum itaque istæ rationes nihil concludant, concludere profectò licet, quinque esse eloquẽtiæ partes, nec plures, nec pauciores

An Inuentio sit rhetoricæ pars, Disputatio III.

DEMONSTRAVIMVS *hactenus eloquenaiam aliquas habere partes: docuimus etiam vniuerse quæ & quot nam sint: nunc consequens est, vt de singulis disputationem instituamus, cum singulæ priuatam difficultatem habeant. Et quoniam inter*

eas

eas primum locum obtinet inuentio, ideo de ea priore loco verba faciemus. Et quamuis antiqui dicendi magistri pro certo habuerint inuentionem esse rhetoricæ partem: tamen quidam recentiores aliter opinati sunt; ac proinde huius quæstionis examinandæ nobis occasionem præbuerunt: quorum opinioni hæ rationes fauere possunt.

Primum, huic sententiæ fauet auctoritas M. Tullij, qui locorum inuentionem tribuit dialecticis: ita enim scribit: Sed Aristoteles, is, quem maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumentatio, non modo ad philosophorum disputationem, sed etiã ad hanc, qua in caussis vtimur, inueniretur: & alio loco in dialecticorum acumine inuentionem positam esse affirmauit. Libro 2. de Ora. Libro 1. de Inuẽ.

Deinde, rhetorica, ex Aristotele, est veluti particula & propago quædam, ac simulacrum dialecticæ, ea nimirum de caussa, quod ab ea inueniendi, atque argumentandi rationẽ accipiat: huc facit, quod Cicero inuentionem artis disserendi, id est dialecticæ partem fecit: quare non erit pars eloquentiæ. Et hinc est, quod Aristoteles in rhetoricis nihil de locis, qui ad inuentionẽ pertinet disputauit: nec etiã Hermogenes alias absolutissimus dicendi magister, & nõ nulli alij. Libro 1. Rhet. In Top. Rodul. lib.3.c.

Ad hæc loci, ex quibus argumenta in rheto-

rica petũtur, ijſdẽ omnino ſunt, nec vlla ratione differunt, a locis dialecticis, vt patet ex ipſorum enumeratione, & deſcriptione: igitur inuentio, quæ tota in locis verſatur, erit dialecticæ propria. Quid ergo tã multa rhetores fruſtra de inuentione ſcribunt? cum hęc a dialecticis accipienda ſint.

Inſuper, vt Orator a Philoſophis & ab alijs artificibus res & ſententias accipit, nec enim diſputat de virtutibus, de legibus, & de rep. ita inueniendi rationẽ a Dialectico accipiet. Huc facit, quod legimus, Gallum ſolitum dicere, ſi quęſtio incidiſſet de facto, hanc pertinere ad Ciceronem: ſi vero de iure, nihil ad Ciceronem ſed ad Gallum: ac ſi dixiſſet, Oratorẽ ſolum vocem & verba adhibere, res vero a Iuriſcõſulto ſumere.

Iam vero, ſi Oratori elocutio relinquatur, & inuentione ſpolietur, ſuum retinebit nomẽ, quod minime retineret, ſi omnes alias partes ei tribueres, & elocutione priuares, cum ab hac ſola diſertus & eloquens nominetur: ergo ſola elocutione conſiſtet eloquentia: cum id ſolum ad Oratorem pertinere videatur, vt orationẽ verbis ornatã, & copioſam reddat. Huc facit, quod M. Tullius ſermone ſecundo de Oratore his verbis ſcriptum reliquit: Sed quod cuiuſque ſit propriũ, & ſi ex eo iudicari poteſt, cũ videris quid quæq; doceat: tamẽ hoc certius nihil eſſe poteſt, **Cic. in Orat.**

quam

quam quod oẽs artes aliæ ſine eloquentia ſuum munus præſtare poſſunt; orator ſine ea nomen ſuum obtinere nõ poteſt: vt ceteri, ſi diſerti ſint, aliquid ab hoc habeant; hic niſi domeſticis ſit inſtructus copijs, aliunde dicendi copiam petere non poſſit.

Præterea, omnes aliæ ſciẹntiæ rationem inueniendi, & diſponendi accipiunt a dialectica, quę eſt omnium ſcientiarum, & artium inſtrumentum; cur non etiam Rhetorica? quæ, vt ab eadem ratiocinandi modum mutuo accipit, ita & rationem inueniendi accipere debere.

Denique, inuentio eſt quædam naturalis prudentia, atque perſpicacia, ac propterea Tullius aliquando dixit, inuenire eſſe magis prudentiæ, quam artis: alio loco, ſcriptum reliquit, eſſe mediocris prudentię: adde etiam auctoritatem Fabij dicentis inuentionem eſſe nobis communem cum imperitis, et eſſe magis a natura, quã ab arte: quod ſi hęc vere dicũtur, ſequitur neceſſario inuentionẽ non eſſe partẽ artificioſæ eloquẽtiæ. In orat. In 2. de orat.

In hac diſputatione duas inuenio Scriptorũ ſententias: alteram quorundam recentiorum, qui contradicendi ſtudio, nouam introduxerunt doctrinam, affirmando inuentionem eſſe propriam ipſius dialectici: ita vt inutiliter rhetores de inuentione ſcribant, & aliquid præcipiant: cum tota inueniendi ratio a dia-

Libro 2. cap. 18. *lectico petenda sit. Ita existimauit Rodolphus Agricola: cuius sententiam libenter amplexus est Petrus Ramus, & nonnulli alij. Alteram priori contrariam, omnes antiqui dicendi magistri constanter docuerunt; quam communiter, qui Rhetorica scribunt, amplectuntur; ita vt hæc secunda opinio pro communi haberi debeat: quam nos quibusdam fundamentis, & positionibus retinendam esse demonstrabimus.*

Solet etiam hoc loco dubitari, an inuentio sit quædam vis naturalis, an vero facultas studio & disciplina acquisita: de qua re quid sit sentiendum, infra in positionibus aperiemus.

Arist. lib. 1. Rhet. cap. 1. Cic. li. 1. de orat. *Primum fundamentum: vt humanæ menti insita est a natura vis quędam differendi, quam postea perspicacis ingenij viri expoliuerunt, & ad artem redegerunt: ita etiam ab eadem natura humanæ rationi ingenita est vis quædam dicendi, quam homines quidam callidiores notatione, & vsu perfecerunt. Quæ duæ facultates, licet inter se maximam affinitatem habeant, vt Aristoteles eas merito, antistrophas, hoc est persimiles & sibi respondentes, appellauerit: tamen & instrumenta, & vsum, & multa alia inter se habent diuersa, & quod ad rem nostram maxime facit, ipso fine potissimum* Cic. in Top. *discernuntur. Nam, cum dialectica tota posita sit in differendi via, vsuq; rationis; quam diri-*

dirigit, ne in rerum cognitione erret, eum habet finem, eoq; tota refertur, vt comparandæ, & tradendæ doctrinæ, disserendiq; viã commonstret. Eloquentia vero eo spectat, vt animos multitudinis tractet, & quoquo vult impellat, atque commoueat. Quo fit, vt dialectica ad docendum & cognoscendum, eloquentia vero ad persuadendum potissimum sit comparata: illa opinionem, hæc vero persuasionem & motum gignit: quos fines hæ facultates attingere nequeunt, nisi res inuenerint, quibus opinio siue fides, ac persuasio gignuntur. Et quoniam ea, quæ ad finem consequendum cõferunt, debent esse cognata, & accommodata fini; propterea, licet ambæ hæ artes inuentione vtantur: tamen, earum inueniendi diuersa debet esse ratio, vt secundo fundamento planius exponam.

Notandum itaque secundo loco est, persuasionem dialecticam, vt etiam supra scripsimus, multum differre a persuasione rhetorica. Dialecticus enim disserendo eam cognitionẽ in animis eorum, quibus cum agit gignere conatur, quæ sit firma & quantum fieri per ipsum potest certa, & vt quam proxime ad scientiam accedat: & ideo ea inuenire debet argumenta, quæ sint ad hanc firmam opinionem gignendam maxime accommodata. Nomine autem Libro 1. disp. 8.

diale-

dialectici hoc loco, non solum intelligo eum, qui tantum nouit locos numerare, ac distinguere, rationemq; probabiliter disputandi docere, sed eũ qui pro omnibus, & contra omnia probabiliter in philosophorum scholis disputare queat; qui nimirum ea teneat, quæ non scientia, sed sola opinione & probabilitate continentur: & quidem huiuscemodi hominem Aristoteles, Dialecticum appellare consueuit. Vt enim Rhetor interdum significat eum, qui solum præcepta docet, interdum vero etiam illum, qui copiose ornateq; de quauis quæstione populariter disputat; ita Dialecticus aliquando is dicitur, qui rationem ac viam docet inueniẽdi argumenta, quibus in vtramque partem probabiliter disputatur: aliquando vero, eum, qui sit probabilium rerum omniũ doctrina ornatus, qua de rebus omnibus propositis, in doctorum hominum cętu, vt Gorgias faciebat, disputet. At vero oratori ea persuasio est propria, quę fidem opinionemq; quandam, non tam ad rei naturam, quam ad hominum sensus accommodatam, & plane popularem, excitet: quæ interdum infirmissimis gignitur argumentis, quorum in disputatione dialectica, nullus esset vsus: quoniam, nihil, aut parum ad fidem faciendam valerent. Imperitę enim multitudini ea interdum magis probabilia videntur, quę vera non sunt, quam quæ

Lib. 1. de Anima. tex. 11.

Aristot. li. 1. Rhetor. c. 1.

sunt

sunt veritati magis consentanea. Hinc fortasse factum est, vt Aristoteles libro primo de arte dicendi, eloquentiam arti Sophisticæ similem esse dixerit: quod, sicuti Sophista argumentis non probabilibus illis quidem, sed quæ probabilia apparent, ad decipiendum vti soleat; ita Orator rationes parum probabiles interdum adhibet; modo multitudini probabiles videantur: quinimo etiam falsis vulgi opinionibus, & erroribus aliquando ad id, quod vult persuadendum, vtitur. Quare, longe diuersum est illud probabile, quod dialectici sectantur, a Græcis, ἔνδοξον, appellatum, ab eo, quod Oratores, πιθανὸν, ab eisdem dictum. Cum itaque hi duo communes artifices diuersos fines spectent, quos sine inuentione attingere nequeunt; non eadem profecto erit vtriusque inuentio: cum ad diuersos fines consequendos diuersa, aut saltem diuersa ratione considerata, sint adhibenda media. Sed quantum horum artificum inuentiones inter se discrepent, paullo post planius explicabitur. Cap. 1.

Tertiũ fundamentum: nomine inuẽtionis duo possumus intelligere; primũ excogitationẽ argumenti, siue loci, siue medij, vt dialectici loquuntur, ad aliquam q̃onem propositã probandam: qua rõne, inuentio dicitur esse excogitatio argumenti: argumentum autem est, probabile inuentum

Cice.in part.sub princ. *tum ad faciēdam fidem, idest ad firmam opinionem gignendam. Vt si proponatur quæstio; sitne Rhetorica ars, vt hanc explices quæstionem tibi inueniendum est medium; siue argumentū, quo huius rei dubiæ fidem facias. Deinde, nomine inuentionis intelligere possumus excogitationem, ac inquisitionem omnium eorum, quæ in aliqua tota oratione cōficienda, seu caussa tractanda sunt necessaria: quo modo accipere videntur dicendi magistri, cum dicunt, oratori plura esse inuenienda. Cuius sex partes auctor* Lib. 1. *ad Herennium fecit, exordium, narrationem, diuisionem, confirmationem, confutationem, atque conclusionem. Si inuentio priore modo sumatur, solum occupata esse videtur in inuestigatione argumenti, & medij, quod cuiusmodi esse debeat, libro de inuentione planius a nobis explicabitur: & de inuentione hoc modo sumpta, est dubitatio, an sit solius dialectici, an vero oratori etiam tribuenda sit, id quod nos in hac disputatione quærimus: An scilicet locorum inuentio & explicatio ad rhetorem pertineat. Si vero inuentio altero modo sumatur, certissimum est pertinere ad oratorem, qui nisi ea inueniat ex quibus orationem conficiat, suo officio fungi minime poterit: cum nulla fere ars sine inuentione hoc modo sumpta, consistere queat. Ea autem, quæ orator inuenire debet,*

vt ex

vt ex Hermogene colligere licet, hæc fere sunt. Quæstio, siue caussa, status quæstionis, qualitas caussæ, loci ad probandam quæstionem, siue epicheremata, loci ad amplificandum, exordium, vestibulum narrationis, & narratio: de qua re alibi planius, & plenius a nobis scribetur. Ex his, quæ adnotata sunt, non nullas differentias colligere licet, quæ sunt inter inuentionem dialecticam, & oratoriam. Prima, dialecticus non tractat omnes locos, quibus priuatim solet vti orator, vt sunt loci laudationis, & consultationis, quos Aristoteles diligenter prosecutus est, primo & secundo de arte dicendi libro: similiter nec locos amplificationis, & locos extrinsecos, qui licet inartificiosi dicantur, quod extrinsecus caussæ adueniant: tamen ab arte explicantur, & artificiose ab oratore tractantur, vt suo dicetur loco. Ideo Cicero inuentionem in tres partes aliquando distribuere videtur: quarum vna ad probandum, alia ad conciliandos animos, alia ad eos qui audiunt commouendos, facit. Secunda, hi duo artifices, non inueniunt easdem omnino res: quia vnus inuenit ea, quæ valeat ad opinionem firmam gignendam apud viros doctos in disputatione philosophica; alter vero etiam quę ad persuadendum in populari concione conferunt: ille quæ fidem faciant: hic, quæ potissimum moueant ille ad

Lib. de Inuen.

Lib. 2. de Orat.

Arist. li. 1. Rhet. cap. 1.

vnum

vnum finem, hic vero ad alium. Tertia, alia ratione Orator suos locos inuenit, exponit, & tractat, atque dialecticus facit: Vbi autem est diuersa tractandi ratio, atque explicandi rẽ aliquam, ibi ex Aristotelis & omnium Philosophorum sententia, variæ constituuntur artes: vt patet in sermone, in quo explicando diuersæ omnino facultates versantur.

Libro 1. Post.

Vltimum fundamẽtum, in quo hæc pars definienda est, Auctor ad Herennium sic definiuit: Inuentio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ caussam probabilem reddant. Per res veras, vt interpretes exponunt, intelligit res necessarias, & omnino certas: per, verisimilia, res probabiles, quæ potissimum ad artem dicendi pertinent: alia verba in hac descriptione adduntur ad demonstrandum cuiusmodi esse debeant rationes, quæ inueniuntur; eiusmodi nimirum, vt rem probabilem, id est verisimilem, & apparenter veram demonstrent: vt aptæ sint ad gignẽdam opinionem, & vt eas auditores facile credant. Quo loco illud monuerim, non licere oratori, neque hoc esse artis munus, vt aliquid falsum, ad fidem faciendam inueniat: in quem errorem complures huius artis Scriptores, & Professores lapsi sunt: & maxime Quinctilianus, cum tamen suum Oratorem virum bonum esse velit. Eodem prorsus

Lib. 1. Franc. Mat. Mat. Victor. Ascens. Franc. Mat. Ascen. Gel. li. 1. cap. 6.

modo

modo M.Tull.inuentionem definiuit.Quam definitionem omnes posteriores dicendi magistri, tanquam bonam, approbarunt. Posses etiam ex partitionibus Ciceronianis hanc descriptionem colligere: Inuētio,est excogitatio argumenti,idest alicuius inuenti,seu vt loquuntur Dialectici,medij,quo aliqua proposita quæstio probari potest. Dicitur autem hoc medium,argumentum,quia,argutando,inuenitur: quod definiens Tullius,dixit esse probabile inuentum ad faciendam fidem:dicitur argumentum,inuentum probabile,hoc est,inuenta ratio probabilis,nō quia, probat, vt quidam exponunt; neque enim dicimus,credibile,quod credit;similiter non dicitur probabile, quia adhibetur ad probandum, vt bene quidam adnotauit; sed quia huiusmodi est, vt credi possit, siue sit rerum, siue verisimile, siue etiam falsum. Similiter, nomine fidei debemus intelligere quamcumque persuasionem, & præsertim eam, qua quis impellitur ad aliquid faciendum, quam orator in auditorum mentibus gignere conatur. Allatę definitiones, describunt inuentionem, vt est in vsu; si quis autem vellet eam definire, vt facultas est, ita diceret: Inuentio est facultas, qua probabiles inueniuntur rationes ad faciendam fidem:per rationes autem intelligo locos,et omnia alia, quæ ad persuadendum necessaria

Trap. libro 1.
Cypria. Soar.
In Top.
Streb.

sunt. His ita notatis has statuo positiones.

Prima positio: Inuentio, siue inuenire non est vlli arti ita proprium, vt etiam alijs conuenire non possit. Hæc positio intelligenda est de inuentione vniuerse sumpta: & est certissima, cum sint quamplurimæ artes, quæ inuentione egent: ac proinde nulla est hoc loco necessaria probatio.

Secunda positio: Inuentio est omnino necessaria rhetoricæ; ita vt sine ea consistere nullo pacto queat. Est hæc positio manifesta ex secunda disputatione: & ex communi omnium sententia. Neque enim placent ij, qui volunt rhetorem nihil ex se inuenire, sed solum exornare, quæ ab alijs accepit, vt patebit ex tertia positione, & ex ijs, quæ alias dicemus de doctrina, quæ in perfecto Oratore desideratur: & saltem nemo ei negabit verborum inuentionem.

Tertia positio: Inuentio, vt est facultas inueniendi argumenta probabilia ad disputandum populariter in vtramque partem, est propria pars eloquentiæ, & ad rhetorem pertinet, qui & rationem inueniendi docere, & inuenire debet. Et quoniam in hac positione tota difficultas sita est, ideo eam pluribus rationibus munire conabimur. Et primum auctoritate omnium antiquorum Scriptorum,

qui

qui de arte rhetorica ſcribentes, potiſſimum in hac parte explicanda elaborarunt: ita Ariſtoteles, cuius omnia fere quæ de arte dicẽdi ſcripſit huc ſpectant, vt rationem inueniendi enthymemata, quæ ſunt orationis nerui, aperiat: & ideo pauca de elocutione dixit; & de alijs partibus, vel parum, vel nihil. Et rhetoricam definiens, dixit, eſſe vim videndi, quid ſit in vnaquaque re perſuaſibile: videre autem ad inuentionem pertinet. Idem M. Tullius, qui ſuos libros de Inuentione inſcripſit, quod etiam Hermogenes fecit: & inuentionis locos, tum in partitionibus, tum alibi numerauit & expoſuit. Quintilianus inuentionem partem eloquentiæ fecit, & inuentionis fontes copioſe, accurateque aperuit. Recentiores etiam Scriptores, vt Trapezuntius, & alij fere omnes locos diligenter exponunt, & ad materiam rhetoricæ ſubiectã accommodant. Quid eſt igitur, vt ſine vlla vrgenti ratione a cõmuni & antiqua ſententia recedamus? Quod qui faciunt, in multorum reprehenſionem merito incidunt. Sed ad auctoritatem rationes accedant: & primum ſi oratori ſubtrahas locorum inuentionem, & tractationem, nunquam poterit idonea argumenta ad finem ſuum obtinendum recte inuenire, ſi quæ eorum ſit ratio & natura, ignoret: cum loci debeant eſ-

Libro 1. cap. 2.

Lib. 2. de Orat.

Libro 3. cap. 3.

Lib. 5.

se maxime accommodati caussæ, cum eorum habendus sit selectus, & certa quadam ratione collocandi sint; de quibus nihil dialectici præcipiunt. Præterea, oratori locorum inuentionem auferre licet, auferre etiam omnino licebit inuentionem rerum, & eum nudum, & inermem relinquere; quo fiet, vt tanquam rabula, clamator, & præco in forum veniat. Quo loco ex te, qui tam male de oratore mereris, peterem; quo pacto iste tuus orator de rebus ab aliis acceptis, cum ipse nec eas inueniat, nec cognoscat, iudicium feret? ni velis eum sine iudicio orationem texere, & caussam perorare: quo pacto consequentia & inter se consentanea dicet? quo pacto verba rebus accommodabit? quo pacto verbis exornabit idoneis, ea quæ ignorat? quo pacto verborum copia abundabit, qui est rerum egenus, cum ex ipso rerum cumulo verborum fluat abundantia? Iam vero, si ei detrahas rerum inuentionem, detrahe etiam & verborum, cum, vt nunc dicebamus, verborum inuentio ab ipsa rerum inuestigatione profluat: auferas etiam omnia sententiarum ornamenta, & lumina, cum hæc a rebus ipsis sumantur. Ad hæc, cum rhetorica sit quædam facultas rationalis, quod ratiocinatione, vt libro primo docuimus, nitatur, & longe diuerso modo argumentatione,

& locis

& locis vtatur, quam dialectica, vt supra exposui, cur locorum inuentionem, & tractationem ei subtrahere volumus, cum sine his nihil concludere, & probare possit? Et cur potius hanc partem dialecticæ, quam rhetoricæ, quæ est ars magis a natura insita, prius inuenta, atque magis cunctis hominibus necessaria isti tribuere volunt? An quia, cum de locorum inuentione agat dialecticus, ideo orator agere non debet? sed id non obstare, satis superque supra demonstrauimus. Auferas etiam materiam, res nimirum omnes, cum in rebus omnibus etiam dialectica versetur. Denique, ne pluribus rationibus contrariam sententiam vrgeam, ex argumentorum solutione, quam falsa sit, adhuc magis perspicuum fiet. Arist. li. 2. Elen. c. vlt.

Quarta positio: Inuentio, quę est pars eloquentiæ, non est solũ facultas a natura accepta, sed etiam habitus arte & studio cõparatus. Volumus hac positione damnare eorum opinionẽ, qui hanc eloquentiæ partem putant potissimum haberi a natura. Fatemur quidem ad eloquentiam comparandam perspicacitatem quandam, ac celeres animi motus ad inueniendum idoneos esse necessarios; sed tamen hanc facultatẽ a natura tributã non ponimus eloquentiæ partẽ. Hęc positio his rationibus breuiter cõfirmatur.

Primum, si hæc inueniendi vis potissimum penderet a natura, cur tam multa de Inuentione, Aristoteles, M. Tullius, & alij dicendi magi-
Cic.li.1. de Inuē. *stri dixissent? cur eam omnium partium difficillimam esse affirmassent? cur partem artificiosæ eloquentiæ fecissent? Deinde, facultas inueniendi posita est in locorum, ac rerum notitia; is enim facile inuenit, qui multarum rerum cognitione est præditus, & locos penitus notos, atq; tractatos habet: at ista notitia, non acquiritur nisi arte & studio: igitur inueniendi facultas non est potissimum a natura. Quare, ne in re manifesta confirmanda diutius immoremur, irridere licet istos, vt quidam facit, qui* Gylbel. Longol. *inuentionem solius naturæ, & iudicium solius artis esse putant. Sed iam tempus est, cum per allatas positiones quid in hac difficultate tenendum sit, constet, vt aduersariorum rationes diluamus.*

Ad primam, primum obijcimus aduersarijs Lib.1. & 2. de Inuen. *eiusdem Ciceronis pluribus in locis, auctoritatem, in quibus nobiscum facit: & de locorum inuentione more rhetorico, varijs in locis scri-* Libro 2. de Ora. *psit. Deinde, cum inuentionem tribuit dialecticis, non debes existimare velle rhetoricam hac præcipua & maxima parte priuare, sed solum significare voluisse, Dialecticorum inuentionem & acumen, cum ipsi, ob assiduam dis-*

serendi

ſerendi de rebus difficillimis & inuolutis exercitationem, ſint maxime ad inueniendum prompti, in oratore deſiderari; & dialecticorum diſputandi vim ad dicendi rationem conferre; id, quod nos libenter concedimus: cum is, qui in dialecticis eſt exercitatus, longe melius & felicius rhetorica tractet, & ſit ad inueniendum expeditior. Cum itaque affirmat Ariſtotelem quoſdam locos tradidiſſe, non vult ſuam artem inuentione locorum ſpoliare; ſed ſolum docere, eſſe quandam communem inueniendorum locorum rationem, quam non eſt neceſſe, vt rhetores inueniant, ſed vt ea in ſuorum locorum tractatione & explicatione vtantur.

Ex his facile ſolueres ſecundam rationem, dicendo, ideo Rhetoricam eſſe quaſi particulam dialecticæ, quia quæ de ratione inueniendi, ac ratiocinandi a Dialecticis dicuntur, facile ad rhetoricæ vſum traduci poſſunt: quæ tamen, niſi a rhetore ad ſuum finem, ſuumq; diſputandi modum accommodate explicentur, parum perfecto prodeſſent. Et vt rem hanc planius exponamus, argumentandi formam diligentiſſime explicant dialectici; ſed cum oratores vario modo ſuas argumentationes diſponere ſoleant; ideo de argumentorum formis, quod ad vſum oratoriũ attinet, rhetores præcipere non nihil ſolent, vt alias nos apertius demonſtrabimus. Habẽt itaq;

rhetores & dialectici, inuentionem, & iudicium, siue ratiocinandi modum communem; sed si ad vsum referantur, earum explicatio & tractatio est longe diuersa. Quod Aristoteles in sua rhetorica de locis nihil dixerit, falsissimum est, cum hanc vnam potissimum rhetoricæ partem ab alijs dicendi magistris illis temporibus pene neglectam, prosecutus fuerit, ac fontes indicauerit, vnde enthymemata hauriri queant. Quod si quosdam locos, quos in dialecticis explicuit, in rhetoricis non repetiuit, nihil obstat: quia existimauit facile ad vsum oratorium traduci posse: & eos prosecutus est, qui ad vsum eloquentię erant magis accommodati. Hermogenes etiam non nihil de locis docuit, quos ad ipsas circunstantias, seu ad attributa reuocauit. Adde etiam, quod hic auctor non est prosecutus omnia, quæ ad artem dicendi pertinent; sed multa ex industria omisit, quæ erant nota in scholis, & ea speciatim tradidit, quæ ad vsum artis pertinent.

Tertiam rationem nihil concludere, satis constat ex ijs, quæ adnotauimus: quoniam multę sunt inter inuentionem & locorum tractationem, dialecticam & rhetoricam discrimina: cum hæ duæ facultates non prorsus eadem, neque eodem modo inueniant: vna inuenit, quæ opinionem gignant, altera potissime, quæ ani-

mos

mos commoueant: vna credibilia, altera persuasibilia: vna quæ a doctis admittantur, altera, quæ a multitudine recipiantur.

Quarta ratio dissoluetur, si assignaueris caussam, cur Oratores non tractet res ipsas, sed a Philosophis, & ab alijs artificibus accipiant. Ratio igitur hæc est, quia rhetorica, vt ars quædam est, docet rationem differendi populariter, accommodatam non solum ad docendum, sed etiam ad mouendum, & delectandum: & ideo priuata quadam ratione debet agere de inuentione, ac etiam de dispositione, sine quibus nulla de re disputari, ac dici potest: propterea hæc non accipit a dialectico, vt faciunt omnes aliæ scientiæ, quæ vtuntur inuentione & dispositione dialectica, sed de his quodam suo priuato iure agit. De rebus vero, quas ad dicendum adhibet, satis est, si ab alijs scientijs tractatas accipiat, vt de eis ornate & copiose dicat. Sed tamen Orator, vt alias diximus, non debet ita accipere, quasi ipse sit omnino rerum ignarus, cum non solum voce & verbis, sed etiam rebus debeat esse instructus, ni præconis, qui solam vocem adhibet, personam, suscipere vult: & tanquam ignorans ab alijs sumere quæ sit dicturus, quæ quid valeant, quid possint, non videat, non intelligat. Nescio itaque, quem Oratorem

forment,

forment, qui ei solam vocem tribuunt: rabulam fortasse dicent, aut remigem, ac baiulum quendam.

Quod quincto loco obijciebatur, solum probat, elocutionem esse maxime propriam Oratori, idque etiam verba ex Cicerone allata confirmant: Sed nunquam poterit Orator congruenter eloqui, nisi inueniendi facultate fuerit prædıtus, & ea nouerit, quæ voluerit exornare.

Quo pacto sexta argumentatio solui debeat, satis ex iam dictis manifestum esse arbitror: alia enim est inueniendi, & ratiocinandi ratio, qua vtitur oratoria facultas, ab illa, qua vtitur dialectica: & quod ad ratiocinationem attinet, plenius dicetur, cum de iudicio inferius disputabitur.

Quo autem modo, vltima ratio diluenda sit, ex vltima positione constat. Quod si interdum rhetores dicunt inuentionem non esse ita artificiosam, tunc comparant eam cum elocutione, quæ magis ex arte pendet; cum ad facile inueniendum quædam vis a natura tributa, in Oratore desideretur.

An

An dispositio sit rhetoricæ pars, Disputatio IIII.

QVONIAM *eiusdem artificis esse videtur eas res disponere, ac suis idoneis locis accommodare, qui eas inuenit: hinc est, vt ij, qui rhetoricæ inuentionē subtrahunt, ijdem dispositionem quoque detrahant, atque detrahere debeant: ac proinde huius tractandæ disputationis occasionem præbent. Et vt eorum sententiam aliquam probabilitatis speciem habere demonstrem, aliquibus argumentis eam confirmare conabor.*

Primum, dispositio nihil aliud esse videtur, quam recta tractandi ratio, secundum quam omnia quæ dici, ac doceri debent, pro rerum natura, aut audientium captu, disponuntur: at agere de methodo, quod sane negaret nemo, ad Dialecticum pertinet, quippe qui docet quo pacto de quauis re disserendum sit: quare agere de dispositione non erit rhetoris, nec dispositio erit rhetoricæ pars.

Deinde nulli Rhetores in suis scriptis de hac parte quicquam priuate scribunt, vt patet, si meliores dicendi magistros consulas; inter quos Quinctilianus, putauit dispositionem arte tradi Lib. 7. *non posse: igitur non erit eloquentiæ artificiose*

pars.

pars. Huc accedit, quod expositores orationum Ciceronis. Sæpe dicunt, dum earum dispositionem inquirunt, partes non esse ex arte distributas, sed a casu, vel pro dicentis arbitrio positas; & interdum dispositionem esse naturalem.

Præterea, dispositio quattuor potissimum partibus continetur, exordio, narratione, confirmatione, & peroratione: at exordium & peroratio ex Aristotele, cum ad animos commouendos referantur, non sunt orationis partes, sed quasi accessiones quædam, de quibus nihil est necesse præscribere: narratio vero & confirmatio dialectica dispositione continentur; quæ, vt M. Tullius scripsit, rem vniuersam in partes distribuere, latentem explicare, obscuram explanare, ambiguamque probare docet: igitur.

Libro 3. rhet.

In Bruto.

Postremo, disponere atque ordinare est munus sapientis, vt Philosophi docent: non poterit igitur illa facultas, quæ rationem disponendi aperit esse eloquentiæ pars; cum eloquentia, non sit sapientia, vt primo libro a nobis decretum fuit. Atque his, alijsque similibus rationibus, dispositionem nihil ad rhetoricam pertinere, persuaderi posset.

Arist. li. 1. Meta.

Dispu.4.

Quod ad opiniones attinet, illi ijdem, qui dixerunt Inuentionem non pertinere ad Oratorē, eidem etiam dispositionem negant, & dialectico tribuunt. At vero, qui Oratori concedunt inuen-

inuentionem, etiam dispositionem tribuunt. Praeterea, quidam, in quibus Fabius esse videtur, affirmant hanc partem non posse arte tradi: alij vero, inter quos Rodolphus, contra sentiunt. Quid autem de vtraque difficultate sentiendum sit, nos fundamentis quibusdam, & positionibus, aperiemus.

Primum fundamentum: haec pars, his potissimum nominibus vocari solet; collocatio, dispositio, distributio, methodus, ordo: Graeci, τάξιν, & οἰκονομίαν, id est, ordinationem, & dispensationem, vocant: Solet etiam haec pars varijs modis definiri. Auctor Herennianus hoc modo eam describit: Dispositio est ordo, & distributio rerum, quae demonstrat, quid, quibus in locis sit collocandum. Item, Distributio est per quam illa, quae inuenimus, in ordinem redigimus, vt certo quodque loco pronuntietur. M. Tullius libro primo de inuentione hoc pacto. Est rerum inuentarum in ordinem distributio. Fabius hac ratione: Est vtilis rerum, ac partium in locos distributio. Item, est rerum quam optimo ordine collocatio. Quod si velles eam describere vt est vis quaedam, posses ita dicere. Dispositio est facultas, qua quae dicenda sunt pro rei, aut caussę cōditione, prius, aut posterius idonee ad persuadendū collocātur. Vel hoc modo: Dispositio est inuentarū rerum, pro ipsarū, & auditorum

Lib. 2.

Lib. 3.

Lib. 7. cap. 1.

rum

rum,& causs̨ ratione,ad persuadēdū idonea distributio. Vt autē est quædam methodus definiri potest eo modo, quo libro primo disputatione quincta,tertia parte fecimus. Atque hæc de nomine,& definitione,nunc de diuisione dicamus.

Secundum fundamentum : prima dispositionis diuisio, quam omnes fere dicendi magistri afferunt,hæc est:Dispositio, altera est naturalis, altera artificiosa : quam diuisionem tradidit M. Tullius in secundo de Oratore libro. Dispositio naturalis dicitur ea, quam quodammodo ipsa natura præscribit, & animis nostris inserit. Præscribere enim natura videtur,vt antequam aliquid dicamus,auditorū animos conciliemus: deinde, vt rem de qua controuersia est,exponamus : postea vt eam nostris præsidijs corroboremus : ac tandem vt concludamus. Artificiosa dicitur illa, quam prudens Orator suo iudicio pro locorum, temporum, personarum, caussarumq; diuersitate,adhibet. Hæ duæ dispositiones ita differunt,quod prior est magis certa, posterior vero minus certa : ac proinde de illa certa præcepta dari possunt, de hac non ita, cum pro caussæ vtilitate immutanda sit : qua in re Orator suam indicabit prudentiam. Neque illa prior dicitur naturalis, quasi a sola natura habeatur, cum de ea speciatim dicendi magistri præcepta tradant ; sed quia naturæ ordinem sequitur.

Streb. in hunc locum.

quitur. Neque hæc dr̃ artificioſa, quod ab ipſa arte ſolum explicetur, aut doceatur; ſed quia ex quadam induſtria, & arte Oratoris pendet. Exempla prioris diſpoſitionis habes in his orationibus Ciceronis, vt earum expoſitores ſcribunt. Prioris, in oratione pro P. Quinctio, pro lege Manilia, pro A. Cęcinna, & in nonnullis alijs. Poſterioris vero, in Oratione pro Sylla, pro Archia poeta, vbi partes videntur permixtę, vt Xichonius Patauinus, & alij adnotarunt, & in quibuſdam alijs. Affertur etiam exemplum orationis Ilionei apud Virgilium: qui, quæ poterant obeſſe prius cõfutauit, quam quod volebat, ex Didone peteret. Idem Cicero in Miloniana fecit. Sunt qui aliter has duas diſpoſitionis partes explicent: nam primam dicunt eſſe iuxta artem, & ab arte proficiſci: alteram vero non eſſe ſecundum artem, ſed ex prudentia & conſilio Oratoris oriri. Denique, alij dicũt diſpoſitionem eſſe ex arte, cum omnes adhibentur orationis partes: non ex arte, cum aliqua pars prætermittitur. Alia diſpoſitionis diuiſio, quæ ex eodem Cicerone colligitur, hæc eſt: quod alia ſit diſpoſitio quæſtionis infinitæ, alia quæſtionis finitæ. Nam, cum diſpoſitio debeat eſſe accomodata quæſtioni, pro quæſtionũ varietate, varia etiam erit diſpoſitionum ratio. In quæſtione infinita tractanda, vt Cicero ait, idem

Otho. Vuerdemus. Libro 1. Aen. Anton. Luſcu. ora. pro Quinct. In part. Streb. in hunc locum. In part.

idem fere est ordo, qui & locorum: hoc est, argumenta ad fidem faciẽdam, eodem ordine sunt tractanda, quo loci numerantur. Vt, si exempli gratia tractares hanc quæstionem, An mors sit contemnenda, primum argumentum duceres a definitione, deinde ab enumeratione a notatione, a coniugatis, & sic deinceps. In caussa vero, seu quæstione finita, quoniam non solum facienda est fides, sed etiam adhibendus est motus, oportet aliam adhibere dispositionem, naturalem nimirum, vel artificiosam. Neque, quod Cicero de dispositione propositi, siue quæstionis infinitæ ait, ita accipiendum est, vt debeamus semper eandem dispositionem seruare, quam ipse in locis recensendis expressit; cũ non eodem modo quæuis infinita quæstio tractari debeat, nec eadem ratione ab omnibus locorum series constituatur: & ipsemet Cicero vtriusque quæstionis eandem esse dispositionem eodem loco, doceat. Doctrina itaque Tullij vniuerse accipienda est, videlicet, in quæstione infinita tractanda, eam dispositionem fere seruandam esse.

Streb. in hunc locum.

In part. *Rursus, ex eodem Tullio hæc tertia colligitur dispositionis diuisio, quod alia sit accusatoris, alia defensoris disponendi ratio. Accusator rerum ordinem prosequitur, vt Cicero facit in Verrinis: patronus vero varie disponit, pro caussarum, temporum, & personarum varietate: vt in ora-*

in oratione pro Cluentio, & pro Milone idem auctor fecit. Trapezuntius hunc in modum dispositionem diuidit. Dispositio, alia ab arte proficiscitur, alia a natura caussæ, & temporum, locorumque, ac personarũ ratione, vt supra scripsimus. Rursus alia est dispositio caussæ simplicis, vt est illa, in qua vna est constitutio: alia est caussæ duplicis, vt est ea, quę duas aut plures habet constitutiones, aut constitutionis partes: quæ constitutiones, vel sunt principales, vt sunt illæ, quæ ex conflictione, & prima depulsione oriuntur; vel incidentes, vt quæ ex alicuius rationis depulsione nascuntur. In simplici caussa consideratur dispositio partium orationis, vt exordij, narrationis, aliarumque, & argumẽtorum: at vero in duplici, etiam cõstitutionum, ac partium earũ consideranda est. Rodolphus autẽ ex triplici rerũ ordine, triplicẽ facit distribuẽdi formam. Nam rerũ aliæ sunt, quæ inter se statũ quẽdam certum habent; vt annus prior & posterior: prima & secunda diei hora: aliæ, quæ nullũ habẽt ordinẽ, vel si quẽ habere possunt, quisque, in illis explicandis, eũ ordinem seruat, qui pro occasione, & ratione dicendi, visus fuerit oportunior: aliæ denique certo ordine gestæ; sed tamen data opera in illis exponendis earum seriem, perturbamus, & priores posteriore loco ponimus: & rem nõ a principio, sed a medio exordi-

Lib. 3. cap. 1.

mur: qua scribendi ratione uti solent potissimum poetæ, ac etiam Oratores. Hunc ordinem seruant Comici in Comœdijs scribendis: hunc seruauit Virgilius in Aeneidis; qui non exorsus est ab initijs belli Troiani, sed a nauigatione Aeneæ, qua tempestatibus in Africam delatus est. Huc pertinet præceptum illud horatianum:

De arte poet.

Nec reditū Diomedis, ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellū Troianū orditur ab ouo.

Primum ordinem naturalem, alterum arbitrarium, tertium artificialem nominat Agricola. Naturalis ordo in quattuor spectari solet: nam aliquid dicitur prius natura, ut est id, a quo aliud dependet, & non contra: quo modo Sol est prior illuminatione: partes priores toto. Dicitur præterea aliquid prius tempore: ut dies externa, hodierno die, & elapsa hora præsenti tempore. Postea, dicitur aliquid esse prius positione: quo modo fundamenta in domo, si ascendas, sunt priora parietibus: & in homine, si descendas, caput & collum. Postremo, est aliquid prius alio, dignitate: ut Consul, Prætore, Sol cæteris Stellis, & aurum argento. Qui rem aliquam gestam narrant, naturalem rerum ordinem sequi debent, & eo ordine eam exponere, ut gesta est: quod proprium est historiographorum, quorum prima laus, est ueritas. At uero Poetæ, qui uarietate delectare

Aristot. in post. præd.

ctare volunt, hunc ordinem perturbant, & multa permiscent: vt fecit Virgilius in Aeneidis, Terentius in Andria, & in alijs comœdijs: Quare historicus aliter inciperet, ac prosequeretur Aeneæ errores, atque Virgilius fecit. Quando autẽ ab historico res variæ, et ordine disiunctę, sed eodem tempore gestę, exponendę sunt; cum eas simul narrare nequeat; pro suo arbitrio eas disponit; quarum interdum ordinem abrumpit, vt aliquid aliud scribat, & postea ad eas quas intermiserat, narrandas, reuertitur. Id in Liuio *obseruares, dum res, quę secundo bello punico in* Italia *& in Hispania gestę sunt, narrat: idem etiam in* Cornelio Tacito. *Quod si cuipiam de rebus varijs, multiplicibus, & nulla affinitate coniunctis esset scribendum, vt dę populorum moribus, de ijs quę in aliqua prouincia, siue ciuitate reperiuntur, de clarorum virorum exemplis, & dictis, de plantis, de animalibus, de morbis alijsque eiusdem generis rebus, eum sequi potest ordinem, qui magis arriserit: ita tamen scribere debet, vt aliquem idoneum inuestiget, & sequatur. Vt si quis per genera, species, partes, rerum tempora, & officia progrediatur. Vt fecit Aristoteles scribendo de animalibus, Theophrastus de plantis, Valerius Maximus de virorum exẽplis, & Medici agendo de morbis, iuxta ordinem partium corporis; & nos* Valer. Max. Theoph.

fecimus in libro de Interiore homine. Et Ouidius in ſua metamorphoſi, licet in recēſendis illis fabulis, nullā certam methodū ſeruauerit: tamē, ſæpenumero vnā cum altera artificioſe cōglutinare ſolet. Oratoria etiā diſtributio, vt antea dicebā, libera eſt, & in partibus orationis collocādis, & in narrando, ſiue exponendo: ita tamen li
Quinct. lib. 7. *bera eſſe debet, vt ordo non a dicentis voluntate, ſed a cauſſæ vtilitate naſcatur: Ceterum, cū nihil obſtabit, rerū ac tēporū ordo ſeruādus eſt. Sed hac de re alibi cū de narratione ſcribemus. Dialogorum quoque Scriptores maximā libertatem in rerū diſpoſitione habent, dum quocunque volunt liberius deflectunt; quod eſt commune omni ſcriptioni, in qua plures perſonæ loquētes introducuntur. Poſſet denique diſpoſitio diuidi iuxta res, quas Orator diſtribuere debet: vt ſunt, tota ipſa oratio, ſingula eius membra, argumenta, & argumentorum partes.*

Antequam autem hoc fundamentum concludo, circa ea quæ dicta ſunt, non nulla breuiter admonebo. Primum, ordines ſupra recenſitos poſſe variari; vt, quod eſt prius vno ordine, alio ſit poſterius: pueritia eſt quidem prior tempore iuuenta, ſed æſtimatione poſterior: & ordo, qui vna ratione non eſt naturalis, alia erit ſecundum naturam. Deinde, licet in narrationibus poeticis rerum ordo permutetur:

mutetur: tamen ordo naturalis apparet in ipsis personis, quas poetæ loquentes faciunt. Exempli gratia, ex ordine naturali prius fuit Aeneam appellere in Africam, quam quod Didoni errores suos narrauerit: qui tamen errores, eius narrationem præcesserunt. Postea, in hoc genere scriptorum, introducuntur personæ, quæ res narrant, & naturalem ordinem narrando sequuntur: Interdum proponuntur aliquæ picturæ, quæ rem totam repræsentent: & aliquando vates, & oracula adhibentur, quæ futura suo ordine prænuntient. Denique, in hac scribendi libertate danda opera est, vt temporũ ordo seruetur, ne is qui narrat, tempora peruertat. Atque hæc de secundo fundamento satis. Virg. li. 6. Aen.

Tertium fundamentum, in quo exponendus est orationis ductus, quem & si aliqui ad inuentionem referant: tamen non male ad dispositionem nos referri posse putamus. Ductus ergo nomen est, a Duco, ductum, & de aquis, ac de oratione dicitur. Ductus in oratione nihil aliud est, quã dicendi ratio, siue methodus, & vt Cicero loquitur, tractatio, qua tota caussa Oratori agenda est: cum scilicet aliquid vna vel alia ratione agimus, vt tandem quo volumus perueniamus. Est itaque ductus ratio differendi, qua tota caussa, aut aliquod caput tractatur, aperte, & simpliciter, aut simulate & flexe.

Lege Trapez. libro 4. Et i ora. pro Lig. Conf. Chir. lib. 1. Ioã. Iac. Vuerd. Libro 2. Aeneid.

Est autem ductus duplex: alter simplex, cum clare, & aperte id agimus, quod in caussa positum est. Alter figuratus, cum in id, quod volumus auditores occulte trahimus. Simplex in rectum & simulatum diuiditur: rectus est, cũ id agimus, quod volumus sine simulatione: simulatus, cum simulatione vtimur; vt fecit Sinon apud Virgilium cum Troianis persuasit, vt equum in vrbem introducerent. Figuratus subdiuiditur in contrarium, obliquum, & per subiectionem. Contrarius est, in quo oppositum eius, quod palã dicimus velle, auditoribus persuadere conamur: quod facimus, vel quia, quid auditores sentiant experiri volumus; vel quia sine offensione auditorum hac orationis dispositione, eis quod cupimus facilius nos persuadere posse arbitramur. Rationes, quę in hoc ductu adhibẽtur, sunt debiles, & quæ facile solui possunt, ac etiam secum pugnant. Vt ecce, Lacedęmonij pacem Atheniensibus pollicentur, si eis Periclem in manus dederint: consultant, an dandus sit: Pericles habet hac de re apud populum orationem: & quia non facile quod vellet obtineret, si recto & simplici ductu ageret, palã probando se non esse dandum, vtitur figurato, & consulit se dandum, cum tamen potius contrarium velit. Dicit itaque se semper Atheniensibus beneuolum extitisse, semper publicæ vtili-

tati

tati consuluisse: & magis reip. quam sibi consuluisse, ac proinde se paratum esse ad vitam pro patria profundendam: verum ita agit, vt id magis dissuadere, quam persuadere conetur. Obliquus est, cum contrarium ei, quod volumus suadere videmur; sed oblique quod volumus potius persuademus. Vt ecce, in maxima annonæ caritate vir diues se daturum frumentum reip. pollicetur, si sibi permittatur, vt pauperem inimicum occidat. Pauper, in concione se dandum esse consulit: sed dum hoc facit, demonstrat diuitem non habere frumentum: aut si habet, licere reip. ab eo auferre: quod dum facit, oblique se dandum non esse suadet. Ductus per subiectionem est, cum ita dicimus, vt id quod volumus facile subappareat; nec tamen huius rei caussa nos dicere videmur: quo vtimur, cum non existimamus tutum esse id palam petere; aut, quod petimus, subturpe esse videtur: ita tamen dicimus, vt quod volumus, facile ab auditoribus intelligi possit, ac etiam intelligatur. Habes singulare exemplum apud Virgilium in oratione Didonis ad Annam sororem, vbi ita locuta est, vt soror facile intelligeret, velle se a sorore excitari ad connubium, cum Aenea contrahendum. Libro 4. Aeneid.

Quartum fundamentum: in oratione distribuenda animaduertendum est, an caussa sit simplex;

plex; an vero duplex. Ea caussa dicitur simplex, quæ vnam habet constitutionem, siue statum simplicem: Ea vero duplex, quæ plures habet constitutiones, aut plures vnius constitutionis partes, cum plura ex vna constitutione oriuntur capita, vt solet accidere in defensionibus. Exemplum duplicis caussæ habes in oratione pro M. Cælio, in qua varia sunt capita. Potest autem in caussis duplicibus esse vna constitutio principalis, aliæ vero accessoriæ, quæ ab alicuius rationis deprecatione oriuntur: de quibus latius alio libro, vbi de statibus agetur. In caussa simplici disponenda habetur potissimũ ratio partium orationis, atque argumentorum: at vero in duplicibus, oportet etiam inspicere, quod nam caput prius, & quod posterius tractandum sit: & illud priore loco explicandum est, quo demonstrato, ea quæ sequuntur facilius explicantur.

Quintum fundamentũ, in quo nõ nulla discrimina inter dispositionem dialecticã & oratoriã assignabimus. Dialecticus ergo ita res a se inuentas disponit, vt quæ dicit facile percipiantur, ita vt apte ad docendũ dicat: Orator vero ita dispo nit, vt non solũ doceat, sed etiã moueat, ac delectet. Dialecticus, nihil de exordiendi, narrandi, atque perorãdi ratione præscribit, vt rhetor facit. Habent etiã hi duo artifices argumentorum

dispositi-

dispositione diuersam omnino œconomiam, ac proinde multa priuatim de hac re a rhetoribus traduntur præcepta, de quibus dialecticus, nihil vt alio libro dicemus. Denique, ne in re manifesta demonstranda longior sim, quam par est, dialectica dispositio fere eadem semper est in omni disputatione, ac tractatione; at vero oratoria pro locorum, temporum, rerum ac personarum varietate mutatur. His ita adnotatis, has statuo positiones.

Prima positio: De dispositione possunt tradi aliqua præcepta; etiam si de ea loquamur, quæ a iudicio oratoris pendet, quam inartificiosam aliqui appellant. Patet hæc positio ex ijs quæ Scriptores de dispositione tradunt: & cum alij temere, alij vero certa quadam ratione suas orationes disponant, potuerunt profecto quædam notari recte disponendi præcepta, quę a melioribus Scriptoribus adnotata fuerunt; ac speciatim a Trapezuntio libro quarto. Neque illa dispositio, quæ inartificiosa vocatur, arte vacat, cum maxime ab arte pendeat: sed dicitur inartificiosa, quia non a re, sed aliunde sumitur, nimirũ a personarum, locorũ, aliarumq; circumstantiarum conditione: sicuti, neque loci, qui inartificiosi vocantur, sine arte tractantur, vt alibi dicetur.

Secunda positio: Dispositio numerãda est inter par-

ter partes eloquentiæ. Patet hęc doctrina primum ex communi sententia Scriptorum, & expositorum orationum M. Tullij, qui dispositionē quandam in eius orationibus inueniunt, huic arti propriam. Deinde confirmatur ex ijs, quæ proxima disputatione diximus: quoniam, si hæc ars habet propriam inuentionem, debet etiam habere propriam dispositionem: cum eiusdem artis sit disponere, cuius est inuenire. Adde postremo, quia sine hac parte multis virtutibus eloquentis hominis careret oratio, atq; ipsa eloquentia imperfecta esset.

Tertia positio: Dispositio oratoria est longe diuersa a dispositione dialectica. Est hęc positio ex supra allatis differentijs satis aperta; propterea nihil est quamobrem in ea confirmanda pluribus immoremur.

Quarta positio: Dispositio commode diuidi potest in tres species, siue partes, vt Rodolphus fecit. Siquidem, hæc distributio videtur omnes distribuendi rationes complecti: vt ex ijs, quæ adnotauimus, satis aperte intelligere licet.

Quincta positio: Alia debet esse distributio caussæ, seu quæstionis finitæ, alia quæstionis infinitæ. Doctrina est M. Tullij in partitionibus, quam libenter alij dicendi magistri amplectuntur. In caussa itaque adhibenda est illa dispositio,

tio,

tio, quam ars præscribit; in quæstione infinita, potius ex ipsa rerum natura sumenda est disponendi ratio.

Sexta positio: In caussa, disponendi forma hæc est, vt adhibeantur omnes partes orationis, quas rhetores assignant, exordium, narratio, & aliæ, a quo disponendi modo, plures, aut pauciores partes adhibendo, vel eas permutando, pro circunstantiarum ratione, prudens recedit orator.

Septima positio: Si quæstio simplex & infinita tractanda esset, hæc methodus, siue dispositio commode adhiberi posset. Primum agendum esset de nomine: deinde an res existat: deinde, quid sit: deinde, qualis sit, vbi proprietates inuestiantur: deinde propter quid sit. i. rei caussæ quærendæ sunt: deinde qui sint rei effectus: deinde explicandæ sunt species & partes, quę & quot sint: postremo, quæ sint rei similia, & quæ contraria, & quo pacto res de qua agitur, alijs præstet, aut inferior sit. Hæc itaque, fere sunt capita, quæ de aliqua re simplici congruenti ratione disputari posset. Vt si de virtute, vel de aliqua virtutis parte proponeretur quæstio. Et per has positiones huic disputationi satisfactum sit: ex quibus argumenta in contrarium allata facile soluuntur. Docto- res Lo- uan. in Topic.

De primo, concedimus pertinere ad diale-

cticum

ticum agere de methodo; sed idem non est negandum rhetori, cum harum duarum artium diuersa sit disponendi ratio, vt ex dictis patet.

Quod in secundo argumento assumitur falsum est: quoniam, licet pauci de hac eloquentiæ parte, seorsim egerint: tamen omnes de ea aliqua præcepta tradiderunt, dum de partium distributione, egerunt. Illi vero, qui putant de dispositione non posse præcepta tradi, errant: & ipsemet Quinctilianus hac de re late disputauit. Quod aliqui aiunt aliquas orationes carere artis dispositione, quomodo intelligendum sit, patet ex prima positione. Et ea dispositio, quæ a quibusdam naturalis vocatur, non caret arte; vt ex adnotatis constat.

Quod autem tertio loco dicitur, exordium & perorationem non esse partes orationis ex Aristotelis sententia, non est ita intelligendum, vt hæ duæ partes ab oratione sint excludendę, sed ideo dicit non esse partes orationis, quia in his non afferuntur enthymemata ad aliquid probandum; cum Aristoteles pręcipuam vim in probationibus, & non in animorum motibus ponat; & orator interdum sola probatione, absque maiore motu persuadere possit. Sunt igitur hæ partes accessiones quædam

si proba-

ſi probationis corpus ſpectetur, non autem ratione totius orationis. Et hinc eſt quod Ariſtoteles de vtraque diligenter egit. Et licet dialectica res latentes explicet, & confuſa diſcernat, id efficit, vt ad docendum eſt neceſſarium: rhetorica vero iiſdem fungitur muneribus, vt ad perſuadendum referuntur.

Quod poſtremo loco obijcitur; facile ſoluitur, cum ſapiens, vt primo libro docuimus, non ſolum dicatur is, qui omnia ſimpliciter nouit, ſed etiam qui eſt in aliqua arte bene peritus: ac proinde poteſt recte diſponere ea, quæ in ſua arte tractantur. Atque hic ſit huius diſputationis finis.

An elocutio ſit Rhetoricæ pars, Diſputatio V.

ET *ſi nemo, vt non nulli ſcribunt, hactenus extiterit, qui elocutionem eſſe eloquentię partem negauerit: tamen nos aliquot excogitauimus rationes, quibus veritas iſta labefactari aliqua ratione poſſet. Primum, in medium affero grauiſſimam Ariſtotelis auctoritatem; qui de elocutione loquens, dixit eam videri rem leuem, ſi recte æſtimetur. Idem, ait decertandum eſſe rebus ipſis,* Trap. libro 5. In prin. Libro 3. cap. 1.

& alia,

idem fere est ordo, qui & locorum: hoc est, argumenta ad fidem faciēdam, eodem ordine sunt tractanda, quo loci numerantur. Vt, si exempli gratia tractares hanc quæstionem, An mors sit contemnenda, primum argumentum duceres a definitione, deinde ab enumeratione a notatione, a coniugatis, & sic deinceps. In caussa vero, seu quæstione finita, quoniam non solum facienda est fides, sed etiam adhibendus est motus, oportet aliam adhibere dispositionem, naturalem nimirum, vel artificiosam. Neque, quod Cicero de dispositione propositi, siue quæstionis infinitæ ait, ita accipiendum est, vt debeamus semper eandem dispositionem seruare, quam ipse in locis recensendis expressit; cū non eodem modo quæuis infinita quæstio tractari debeat, nec eadem ratione ab omnibus locorum series constituatur: & ipsemet Cicero vtriusque quæstionis eandem esse dispositionem eodem loco, doceat. Doctrina itaque Tullij vniuerse accipienda est, videlicet, in quæstione infinita tractanda, eam dispositionem fere seruandam esse.

Streb. in hunc locum.

In part. *Rursus, ex eodem Tullio hæc tertia colligitur dispositionis diuisio, quod alia sit accusatoris, alia defensoris disponendi ratio. Accusator rerum ordinem prosequitur, vt Cicero facit in Verrinis: patronus vero varie disponit, pro caussarum, temporum, & personarum varietate: vt in ora-*

in oratione pro Cluentio, & pro Milone idem auctor fecit. Trapezuntius hunc in modum dispositionem diuidit. Dispositio, alia ab arte proficiscitur, alia a natura caussæ, & temporum, locorumque, ac personarũ ratione, vt supra scripsimus. Rursus alia est dispositio caussæ simplicis, vt est illa, in qua vna est constitutio: alia est caussæ duplicis, vt est ea, quę duas aut plures habet constitutiones, aut constitutionis partes: quæ constitutiones, vel sunt principales, vt sunt illæ, quæ ex conflictione, & prima depulsione oriuntur; vel incidentes, vt quæ ex alicuius rationis depulsione nascuntur. In simplici caussa consideratur dispositio partium orationis, vt exordij, narrationis, aliarumque, & argumẽtorum: at vero in duplici, etiam cõstitutionum, ac partium earũ consideranda est. Rodolphus autẽ ex triplici rerũ ordine, triplicẽ facit distribuẽdi formam. Nam rerũ aliæ sunt, quæ inter se statũ quẽdam certum habent; vt annus prior & posterior: prima & secunda diei hora: aliæ, quæ nullũ habẽt ordinẽ, vel si quẽ habere possunt, quisque, in illis explicandis, eũ ordinem seruat, qui pro occasione, & ratione dicendi, visus fuerit oportunior: aliæ denique certo ordine gestæ; sed tamen data opera in illis exponendis earum seriem, perturbamus, & priores posteriore loco ponimus: & rem nõ a principio, sed a medio exordi- Lib. 3. cap. 1.

Q mur:

mur: qua scribendi ratione uti solent potissimum poetæ, ac etiam Oratores. Hunc ordinem seruant Comici in Comœdijs scribendis: hunc seruauit Virgilius in Aeneidis; qui non exorsus est ab initijs belli Troiani, sed a nauigatione Aeneæ, qua tempestatibus in Africam delatus est. Huc pertinet præceptum illud horatianum:

De arte poet.

Nec reditũ Diomedis, ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellũ Troianũ orditur ab ouo.

Primum ordinem naturalem, alterum arbitrarium, tertium artificialem nominat Agricola. Naturalis ordo in quattuor spectari solet: nam aliquid dicitur prius natura, ut est id, a quo alind dependet, & non contra: quo modo Sol est prior illuminatione: partes priores toto. Dicitur præterea aliquid prius tempore: ut dies externa, hodierno die, & elapsa hora præsenti tempore. Postea, dicitur aliquid esse prius positione: quo modo fundamenta in domo, si ascendas, sunt priora parietibus; & in homine, si descendas, caput & collum. Postremo, est aliquid prius alio, dignitate: ut Consul, Prætore, Sol cæteris Stellis, & aurum argento. Qui rem aliquam gestam narrant, naturalem rerum ordinem sequi debent, & eo ordine eam exponere, ut gesta est: quod proprium est historiographorum, quorum prima laus, est ueritas. At uero Poetæ, qui uarietate delectare

Aristot. in post. præd.

ctare volunt, hunc ordinem perturbant, & multa permiscent: vt fecit Virgilius in Aeneidis, Terentius in Andria, & in alijs comędijs: Quare historicus aliter inciperet, ac prosequeretur Aeneæ errores, atque Virgilius fecit. Quando autē ab historico res variæ, et ordine disiunctę, sed eodem tempore gestę, exponendę sunt; cum eas simul narrare nequeat; pro suo arbitrio eas disponit; quarum interdum ordinem abrumpit, vt aliquid aliud scribat, & postea ad eas quas intermiserat, narrandas, reuertitur. Id in Liuio obseruares, dum res, quę secundo bello punico in Italia & in Hispania gestę sunt, narrat: idem etiam in Cornelio Tacito. Quod si cuipiam de rebus varijs, multiplicibus, & nulla affinitate coniunctis esset scribendum, vt de populorum moribus, de ijs quę in aliqua prouincia, siue ciuitate reperiuntur, de clarorum virorum exemplis, & dictis, de plantis, de animalibus, de morbis alijsque eiusdem generis rebus, eum sequi potest ordinem, qui magis arriserit: ita tamen scribere debet, vt aliquem idoneum inuestiget, & sequatur. Vt si quis per genera, species, partes, rerum tempora, & officia progrediatur. Vt fecit Aristoteles scribendo de animalibus, Theophrastus de plantis, Valerius Maximus de virorum exēplis, & Medici agendo de morbis, iuxta ordinem partium corporis; & nos Valer. Max. Theoph.

fecimus in libro de Interiore homine. Et Ouidius in sua metamorphosi, licet in recēsendis illis fabulis, nullā certam methodū seruauerit: tamē, sæpenumero vnā cum altera artificiose cōglutinare solet. Oratoria etiā distributio, vt antea dicebā, libera est, & in partibus orationis collocādis, & in narrando, siue exponendo: ita tamen li-
Quin&#x10;ct. lib. 7. *bera esse debet, vt ordo non a dicentis voluntate, sed a caussæ vtilitate nascatur: Ceterum, cū nihil obstabit, rerū ac tēporū ordo seruādus est. Sed hac de re alibi cū de narratione scribemus. Dialogorum quoque Scriptores maximā libertatem in rerū dispositione habent, dum quocunque volunt liberius deflectunt; quod est commune omni scriptioni, in qua plures personæ loquētes introducuntur. Posset denique dispositio diuidi iuxta res, quas Orator distribuere debet: vt sunt, tota ipsa oratio, singula eius membra, argumenta, & argumentorum partes.*

Antequam autem hoc fundamentum concludo, circa ea quæ dicta sunt, non nulla breuiter admonebo. Primum, ordines supra recensitos posse variari; vt, quod est prius vno ordine, alio sit posterius: pueritia est quidem prior tempore iuuenta, sed æstimatione posterior: & ordo, qui vna ratione non est naturalis, alia erit secundum naturam. Deinde, licet in narrationibus poeticis rerum ordo permutetur:

mutetur:

mutetur: tamen ordo naturalis apparet in ipsis personis, quas poetæ loquentes faciunt. Exempli gratia, ex ordine naturali prius fuit Aeneam appellere in Africam, quam quod Didoni errores suos narrauerit: qui tamen errores, eius narrationem præcesserunt. Postea, in hoc genere scriptorum, introducuntur personæ, quæ res narrant, & naturalem ordinem narrando sequuntur: Interdum proponuntur aliquæ picturæ, quæ rem totam repræsentent: & aliquando vates, & oracula adhibentur, quæ futura suo ordine prænuntient. Denique, in hac scribendi libertate danda opera est, vt temporũ ordo seruetur, ne is qui narrat, tempora peruertat. Atque hæc de secundo fundamento satis. Virg. li. 6. Aen.

Tertium fundamentum, in quo exponendus est orationis ductus, quem & si aliqui ad inuentionem referant: tamen non male ad dispositionem nos referri posse putamus. Ductus ergo nomen est, a Duco, ductum, & de aquis, ac de oratione dicitur. Ductus in oratione nihil aliud est, quã dicendi ratio, siue methodus, & vt Cicero loquitur, tractatio, qua tota caussa Oratori agenda est: cum scilicet aliquid vna vel alia ratione agimus, vt tandem quo volumus perueniamus. Est itaque ductus ratio differendi, qua tota caussa, aut aliquod caput tractatur, aperte, & simpliciter, aut simulate & flexe.

Lege Trapez. libro 4. Et ĩ ora. pro Lig. Conſ. Chir. lib. 1. Ioã. Iac. Vuerd. Libro 2. Aeneid.

Eſt autem ductus duplex: alter ſimplex, cum clare, & aperte id agimus, quod in cauſſa poſitum eſt. Alter figuratus, cum in id, quod volumus auditores occulte trahimus. Simplex in rectum & ſimulatum diuiditur: rectus eſt, cũ id agimus, quod volumus ſine ſimulatione: ſimulatus, cum ſimulatione vtimur; vt fecit Sinon apud Virgilium cum Troianis perſuaſit, vt equum in vrbem introducerent. Figuratus ſubdiuiditur in contrarium, obliquum, & per ſubiectionem. Contrarius eſt, in quo oppoſitum eius, quod palã dicimus velle, auditoribus perſuadere conamur: quod facimus, vel quia, quid auditores ſentiant experiri volumus; vel quia ſine offenſione auditorum hac orationis diſpoſitione, eis quod cupimus facilius nos perſuadere poſſe arbitramur. Rationes, quę in hoc ductu adhibẽtur, ſunt debiles, & quæ facile ſolui poſſunt, ac etiam ſecum pugnant. Vt ecce, Lacedęmonij pacem Athenienſibus pollicentur, ſi eis Periclem in manus dederint: conſultant, an dandus ſit: Pericles habet hac de re apud populum orationem: & quia non facile quod vellet obtineret, ſi recto & ſimplici ductu ageret, palã probando ſe non eſſe dandum, vtitur figurato, & conſulit ſe dandum, cum tamen potius contrarium velit. Dicit itaque ſe ſemper Athenienſibus beneuolum extitiſſe, ſemper publicæ vtilitati

tati

tati consuluisse: & magis reip. quam sibi consuluisse, ac proinde se paratum esse ad vitam pro patria profundendam: verum ita agit, vt id magis dissuadere, quam persuadere conetur. Obliquus est, cum contrarium ei, quod volumus suadere videmur; sed oblique quod volumus potius persuademus. Vt ecce, in maxima annonæ caritate vir diues se daturum frumentum reip. pollicetur, si sibi permittatur, vt pauperem inimicum occidat. Pauper, in concione se dandum esse consulit: sed dum hoc facit, demonstrat diuitem non habere frumentum: aut si habet, licere reip. ab eo auferre: quod dum facit, oblique se dandum non esse suadet. Ductus per subiectionem est, cum ita dicimus, vt id quod volumus facile subappareat; nec tamen huius rei caussa nos dicere videmur: quo vtimur, cum non existimamus tutum esse id palam petere; aut, quod petimus, subturpe esse videtur: ita tamen dicimus, vt quod volumus, facile ab auditoribus intelligi possit, ac etiam intelligatur. Habes singulare exemplum apud Virgilium in oratione Didonis ad Annam sororem, vbi ita locuta est, vt soror facile intelligeret, velle se a sorore excitari ad connubium, cum Aenea contrahendum. Libro 4. Aeneid.

Quartum fundamentum: in oratione distribuenda animaduertendum est, an caussa sit sim-

plex; an vero duplex. Ea caussa dicitur simplex, quæ vnam habet constitutionem, siue statum simplicem: Ea vero duplex, quæ plures habet constitutiones, aut plures vnius constitutionis partes, cum plura ex vna constitutione oriuntur capita, vt solet accidere in defensionibus. Exemplum duplicis caussæ habes in oratione pro M. Cælio, in qua varia sunt capita. Potest autem in caussis duplicibus esse vna constitutio principalis, aliæ vero accessoriæ, quæ ab alicuius rationis deprecatione oriuntur: de quibus latius alio libro, vbi de statibus agetur. In caussa simplici disponenda habetur potissimũ ratio partium orationis, atque argumentorum: at vero in duplicibus, oportet etiam inspicere, quod nam caput prius, & quod posterius tractandum sit: & illud priore loco explicandum est, quo demonstrato, ea quæ sequuntur facilius explicantur.

Quintum fundamentũ, in quo nõ nulla discrimina inter dispositionem dialecticã & oratoriã assignabimus. Dialecticus ergo ita res a se inuentas disponit, vt quæ dicit facile percipiantur, ita vt apte ad docendũ dicat: Orator vero ita dispo nit, vt non solũ doceat, sed etiã moueat, ac delectet. Dialecticus, nihil de exordiendi, narrandi, atque perorãdi ratione præscribit, vt rhetor facit. Habent etiã hi dũo artifices argumentorum dispo-

dispositione diuersam omnino œconomiam, ac proinde multa priuatim de hac re a rhetoribus traduntur præcepta, de quibus dialecticus, nihil vt alio libro dicemus. Denique, ne in re manifesta demonstranda longior sim, quam par est, dialectica dispositio fere eadem semper est in omni disputatione, ac tractatione; at vero oratoria pro locorum, temporum, rerum ac personarum varietate mutatur. His ita adnotatis, has statuo positiones.

Prima positio: De dispositione possunt tradi aliqua præcepta; etiam si de ea loquamur, quæ a iudicio oratoris pendet, quam inartificiosam aliqui appellant. Patet hæc positio ex ijs quæ Scriptores de dispositione tradunt: & cum alij temere, aij vero certa quadam ratione suas orationes disponant, potuerunt profecto quædam notari recte disponendi præcepta, quę a melioribus Scriptoribus adnotata fuerunt; ac speciatim a Trapezuntio libro quarto. Neque illa dispositio, quæ inartificiosa vocatur, arte vacat, cum maxime ab arte pendeat: sed dicitur inartificiosa, quia non a re, sed aliunde sumitur, nimirũ a personarum, locorũ, aliarumq; circumstantiarum conditione: sicuti, neque loci, qui inartificiosi vocantur, sine arte tractantur, vt alibi dicetur.

Secunda positio: Dispositio numerãda est inter par-

ter partes eloquentiæ. Patet hęc doctrina primum ex communi sententia Scriptorum, & expositorum orationum M. Tullij, qui dispositionē quandam in eius orationibus inueniunt, huic arti propriam. Deinde confirmatur ex ijs, quæ proxima disputatione diximus: quoniam, si hæc ars habet propriam inuentionem, debet etiam habere propriam dispositionem: cum eiusdem artis sit disponere, cuius est inuenire. Adde postremo, quia sine hac parte multis virtutibus eloquentis hominis careret oratio, atq; ipsa eloquentia imperfecta esset.

Tertia positio: Dispositio oratoria est longe diuersa a dispositione dialectica. Est hęc positio ex supra allatis differentijs satis aperta; propterea nihil est quamobrem in ea confirmanda pluribus immoremur.

Quarta positio: Dispositio commode diuidi potest in tres species, siue partes, vt Rodolphus fecit. Siquidem, hæc distributio videtur omnes distribuendi rationes complecti: vt ex ijs, quæ adnotauimus, satis aperte intelligere licet.

Quincta positio: Alia debet esse distributio caussæ, seu quæstionis finitæ, alia quæstionis infinitæ. Doctrina est M. Tullij in partitionibus, quam libenter alij dicendi magistri amplectuntur. In caussa itaque adhibenda est illa dispositio,

tio, quam ars præscribit; in quæstione infinita, potius ex ipsa rerum natura sumenda est disponendi ratio.

Sexta positio: In caussa, disponendi forma hæc est, vt adhibeantur omnes partes orationis, quas rhetores assignant, exordium, narratio, & aliæ, a quo disponendi modo, plures, aut pauciores partes adhibendo, vel eas permutando, pro circumstantiarum ratione, prudens recedit orator.

Septima positio: Si quæstio simplex & infinita tractanda esset, hæc methodus, siue dispositio commode adhiberi posset. Primum agendum esset de nomine: deinde an res existat: deinde, quid sit: deinde, qualis sit, vbi proprietates inuestiantur: deinde propter quid sit. i. rei caussæ quærendæ sunt: deinde qui sint rei effectus: deinde explicandæ sunt species & partes, quę & quot sint: postremo, quæ sint rei similia, & quæ contraria, & quo pacto res de qua agitur, alijs præstet, aut inferior sit. Hæc itaque, fere sunt capita, quæ de aliqua re simplici congruenti ratione disputari posset. Vt si de virtute, vel de aliqua virtutis parte proponeretur quæstio. Et per has positiones huic disputationi satisfactum sit: ex quibus argumenta in contrarium allata facile soluuntur. Docto-res Louan. in Topic.

De primo, concedimus pertinere ad dialecticum

ēticum agere de methodo ; sed idem non est negandum rhetori, cum harum duarum artium diuersa sit disponendi ratio, vt ex dictis patet.

Quod in secundo argumento assumitur falsum est : quoniam, licet pauci de hac eloquentiæ parte, seorsim egerint :, tamen omnes de ea aliqua præcepta tradiderunt, dum de partium distributione, egerunt. Illi vero, qui putant de dispositione non posse præcepta tradi, errant : & ipsemet Quintilianus hac de re late disputauit. Quod aliqui aiunt aliquas orationes carere artis dispositione, quomodo intelligendum sit, patet ex prima positione. Et ea dispositio, quæ a quibusdam naturalis vocatur, non caret arte ; vt ex adnotatis constat.

Quod autem tertio loco dicitur, exordium & perorationem non esse partes orationis ex Aristotelis sententia, non est ita intelligendum, vt hæ duæ partes ab oratione sint excludendę, sed ideo dicit non esse partes orationis, quia in his non afferuntur enthymemata ad aliquid probandum ; cum Aristoteles pręcipuam vim in probationibus, & non in animorum motibus ponat ; & orator interdum sola probatione, absque maiore motu persuadere possit. Sunt igitur hæ partes accessiones quædam

si proba-

si probationis corpus spectetur, non autem ratione totius orationis. Et hinc est quod Aristoteles de vtraque diligenter egit. Et licet dialectica res latentes explicet, & confusa discernat, id efficit, vt ad docendum est necessarium: rhetorica vero iisdem fungitur muneribus, vt ad persuadendum referuntur.

Quod postremo loco obiicitur; facile soluitur, cum sapiens, vt primo libro docuimus, non solum dicatur is, qui omnia simpliciter nouit, sed etiam qui est in aliqua arte bene peritus: ac proinde potest recte disponere ea, quæ in sua arte tractantur. Atque hic sit huius disputationis finis.

An elocutio sit Rhetoricæ pars, Disputatio V.

ET *si nemo, vt non nulli scribunt, hactenus extiterit, qui elocutionem esse eloquentię partem negauerit: tamen nos aliquot excogitauimus rationes, quibus veritas ista labefactari aliqua ratione posset. Primum, in medium affero grauissimam Aristotelis auctoritatem; qui de elocutione loquens, dixit eam videri rem leuem, si recte æstimetur. Idem, ait decertandum esse rebus ipsis,* Trap. libro 5. In prin. Libro 3. cap. 1.

& alia,

& alia, quæ prẹter demonstrationem afferuntur, esse superuacanea.

Deinde, quod in oratione non debet apparere, & si appareat, est vitiosum; non potest ad hanc artem pertinere, cum id cum ipsa arte pugnet: atqui exornatio in qua versatur elocutio apparere minime debet, vt omnes dicendi magistri docent, & qui contra faciunt, vehementer vituperantur, & cum fastidio audiuntur: igitur.

Ad hæc, elocutio in solo verborum ornatu, & conformatione quadam posita est: at ornatus non est pars eius rei, cuius est ornatus, neq; enim color est pars floris, in quo reperitur; neque vestes sunt partes hominis, qui vestibus est ornatus, & vt vniuerse dicam, nullum accidens est pars eius cuius est accidens: omnis autem ornatus est accidens quoddam; igitur.

Iam vero, elocutio, nihil aliud est, quam verborum elegantia: at verborum elegantia ex
In orat. *M. Tullio est infantia, & loquacitas: non igitur censenda erit huius grauissimæ artis particula.*

Insuper, quod vitio auditorum ab oratore adhibetur, non potest esse arti proprium; at elo
Libro 3. *cutio, ex Aristotele, vitio auditorum adhi-*
Rhe.c.1. *betur, cum nolint simplicem veritatem audire, nisi fuerit verbis fucata, & artis penicillo exornata: igitur.*

Prẹterea,

Præterea, eloqui, est pronuntiare ac dicere, cum ex Fabio, sit ea promere, quæ mente conceperis, atque ad audientem proferre: ergo elocutio idem erit, quod pronuntiatio: & ita, saltem, non erit pars ab alia distincta.

Postremo, in bene constitutis rebusp. non licebat adhibere ornamenta, quæ possunt auditoris animum afficere, vt ex Aristotele colligere haud obscure licet; & Areopagitæ solummodo narrationem ac confirmationem admittebant, ad quos cum orator dicturus accedebat, præco pro foribus dicebat, μὴ προοιμιάζου μὴ δὲ ἐπίλεγε, idest ne proœmio, epilogove vtare: male ergo in oratione adhibetur exornatio; & qui de ea scribunt, non recte faciunt. Huc pertinet, quod Sophistæ, qui potissimum orationis ornamenta sectabantur, apud probatos Scriptores male audire solent. His itaque rationibus, quod est apud omnes Scriptores certissimum, in dubium reuocari potest. Libro 2. Rhe. c. 1. Georg. Vall. in par. Cic.

Quod ad opiniones attinet, nullam in ac disputatione opinionū diuersitatem inuenio, cum omnes fateantur hanc esse vnam ex præcipuis, & maxime proprijs eloquentiæ partibus. Verum tamen est, quod quidam totam vim elocutionis in rebus ipsis positam esse putant, ac proinde parum de verborum ornamentis curãdum esse dicunt. Alij vero contra in solis verbis elocutionem

cutionẽ consistere existimãt. Sed melius illi qui, & rerum, & verborum ornamentis elocutionem constare volunt. Vt igitur quid de hac parte sentiendum sit, aperiamus, non nulla nobis adnotanda sunt.

Primum fundamentum, in quo de nomine & definitione elocutionis breuiter agemus. Elocutio, dicta est ab eloquendo: eloqui autem, vt Lib.7.in prooem. *Fabio placet, nihil aliud est, quam quæ mente conceperis promere, atq; ad audientes proferre. Potest autem elocutio duobus modis accipi: vno modo pro ipsa notitiæ, seu intelligentię explicatione, quam Græci hermenian, Latini interpretationem, vocant: quo modo accepisse videtur Fabius: altero modo pro exornatione orationis, siue pronuntiatæ, siue scriptæ. Si priore modo consideretur, eius tractatio pertinet ad Logicum, qui agit de oratione, vt animi sensa enuntiat, & aliquid vere, vel falso exprimit. At vero altero modo considerata, pertinet ad oratorem, cuius solius est ornatam orationem construere: & de elocutione hoc posteriore modo sumpta, nostra intelligenda est disputatio. Quæ hunc in modum definiri solet. Elocutio est idoneorum verborum, & sententiarum* Ascen. *ad inuentionem, hoc est ad res inuentas, accommodatio: Ita auctor ad Herennium, & M. Tullius libro priore de Inuentione. Quam*

descri-

descriptionem omnes fere posteriores dicendi magistri, tanquam bonam, approbarunt: quam tamen Trapezuntius aliqua ex parte, hunc in modum elocutionem describens, immutauit. Elocutio est idoneorum dicendi generum ad inuentionem, accommodatio. Per dicendi genera, existimo hunc auctorem intelligere, tres loquendi formas, sublimem, attenuatam, & mediocrem, quæ potissimum elocutione ipsa discernuntur. Nos autem possumus hoc modo describere: Elocutio est facultas, qua verborum selectu, & collocatione, sententijsq; idoneis, quę inuenta & disposita sunt exornantur, & poliuntur. Vel pressius, est facultas, qua verborum, & sententiarum luminibus, quæ sunt inuenta apte conformantur. Hæc pars a Græcis appellatur λέξις, φράσις, ἑρμηνεία, *&* ἐξαγγελία*: a Latinis, elocutio, exornatio, conformatio, & a Cicerone in partitionibus, oratio: cui nomen generis ideo accommodauit, quod is sermo potissime orationis nomen mereatur, qui est ornatus, a quo oratores, cum sit eorum proprius, nomen acceperunt. Ex his intelligere licet, quid elocutio, & eloquentia differant. Nam eloquentiæ nomine designatur tota ac perfecta vis dicendi, quæ ex quinque conflatur partibus. Elocutionis vero appellatione, solum vis illa, qua quispiā verbis & sententijs idoneis sermonem* Streb. Mar. Capel. Cæsar lib. 4. cap. 2.

conformare ac perpolire potest.

Secundum fundamentum, in quo elocutionis partes nobis explicandæ sunt. Elocutionis duæ sunt species, altera est elocutio poetica, altera oratoria, quæ quantum inter se distent, alio dicetur loco, nunc poetica relicta, de oratoria dicemus. Oratoriæ igitur elocutionis, vt ex eius

Arist. li. 3. Rhe. c. 1. Li. de arte poet. *finitione colligi potest, duæ sunt partes: altera quæ sententiarum lumina & momenta, altera, quæ verborum ornamenta continet. Vnde non placent ij, qui elocutionem in sola verborum conformatione positam esse arbitrantur: cum bene dicere, quod idem est, quod eloqui, sit optimis sententijs, lectissimisq; verbis dicere.*

Quinct. li. 8. c. 1. *Verborum autem elocutio spectatur, aut in singulis, siue simplicibus verbis, aut in coniunctis.*

In orat. *Hanc diuisionem tradidit M. Tullius cum ita scripsit: Ornatus autem verborum duplex, vnus simplicium, alter collocatorum. Et in partitionibus duo genera eloquendi facit; quorum alterum in simplicibus verbis, alterum in coniunctis est: simplicia inuenienda sunt, coniuncta vero collocanda. Rursus ex eodem ijsdem in locis, elocutio, partim est in proprijs, siue vsitatis, & natiuis verbis, partim in repertis: ita vt verborum altera sint natura, tractatione altera; vt sunt verba traslata, & innouata. Ideo in partitionibus ita scribit: Vnum est igi-*

est igitur eloquendi genus sua sponte fusum: alterum versum atque mutatum. Sed de his copiosius, cum de elocutione priuatim agemus. Potest etiā diuidi elocutio per res tria dicendi genera; quæ sunt, sublime, humile, atque mediocre, siue æquabile ac temperatum. Atqui Hermogenes octo ideas, siue formas elocutionis fecit, de quibus integram conficiemus suo loco tractationem. Denique, Herennianus auctor, dixit elocutionem constare ex tribus, elegantia, quæ facit puram & apertam orationem: compositione, quæ facit oēs orationis partes æquabiliter perpolitas: & dignitate, quæ orationem varietate distinguit.

Cic. li. 1. offic. in proœm.

Lib. 4.

Tertium fundamentum, in quo elocutionis necessitatem aperiam. Quamuis ergo ad persuadendum, primum ac præcipuum locum ratio ipsa obtineat, quippe quæ ipsa per se eorum, qui audiunt animos ad assentiendum ijs, quæ dicuntur, inducit, & quodam modo trahit; idque speciatim apud viros doctos, qui rationum momenta percipiunt; tamen, cum sicca, ieiuna, & spinosa oratio, etiam si neruosa, atque lacertosa sit, non ita in aures influat, nec tam libenter, atque oratio perpolita, fluens, & concinna, præsertim a populo, apud quem oratori potissimum dicendum est, excipiatur; hinc fit, vt etiam verborum ornatus in oratione populari adhi-

beri soleat, ac debeat. Vt enim cibi nullis condimentis adhibitis, facile ab ijs qui sunt fame enecti sumuntur, ac gustantur; sed multo facilius, si bene & laute conditi proponantur, cum maiorem vim ad alliciendum, atque ad afficiendum habeant; ita oratio, lauta, & quasi salibus condita, libentius auditur, a qua non solum ratio ipsa, sed etiam rationis sensus, hoc est humanus affectus commouetur, ac trahitur. Itaque, licet ornatus solus, ex se, non faciat fidem; tamen, si rationibus adhibeatur, eas longe plausibiliores, & ad persuadendum aptiores reddit. Hanc doctrinam non obscure nos docuit Aristoteles libro tertio de arte dicendi, vbi cum elocutionem sero prodijsse in lucem, & rem esse leuem dixisset, adiecit hæc verba: Sed tamen, cum Rhetorica, eiusq; preceptio ad opinionẽ spectet. i. ad opinionem gignendam referatur, non quod recte se habeat. i. non quod elocutio ex sua natura adhibenda sit; sed quia necessarium (nimirum propter auditores ipsos) nõ est negligẽdum, id. s. quod de elocutione precipitur. Eodẽ loco, paulo infra, cum dixisset omnia alia preter demonstrationẽ esse superuacanea, addidit: Verum tñ multum valent, pronuntiatio nimirũ & actio, vt dictum est, propter auditorum prauitatem. i. quia non omnes sunt ita affecti, vt nudas

Cap. 1.

& inor-

& inornatas rationes, ēt firmissimas; libenter audiant; aut eis sese constringi sinant. Ex quibus intelligi pōt, elocutionem, si rem ipsam nudam .i. solam fidem, et probationem spectemus, ex se fidem non facere: at vero ratione auditorum, qui ornata oratione afficiuntur, multū ad persuadendū cōferre. His ita notatis statuo has positiones.

Prima positio: Elocutio est pars rhetorices: Patet hęc positio, primum ex cōi sentētia eorū, qui de hac arte scripserunt; cum nemo vnquam extiterit, qui hanc partem huic arti ademerit. Deinde, ea est alicuius artis pars, qua sublata, tota ars destruitur: at remota elocutione ab oratore non remanet rhetorica; igitur. Postea, de elocutione possunt tradi præcepta, ac etiā traduntur, et nulla alia ars pręter rhetoricam id profitetur: igitur. Quod si dicas ēt poeticam agere de elocutione, id nihil est, qm̄ elocutio oratoria, vt Aristoteles scripsit, multum a poetica distat. Li.3.c.1.

Secunda positio: Elocutio non est extranea ab rhetorica, sed est ei maxime intima & cognata. Patet hęc positio in primis ex eo, quod hæc ars per elocutionem potissimum distinguitur ab alijs artibus, quę in sermone versantur: veluti a Grāmatica, et dialectica: distinctio aūt non fit, nisi per ea quę sunt rei maxime propria. Deinde, quoniam ab hac parte hæc facultas nomen suū accepit: non enim is, qui hanc artem profitetur Cic. in Orat.

inuentor, non compositor, aut actor, sed Rhetor, & eloquens ab eloquendo dictus est. Huc In orat. *etiam facit, quod Cicero aliquando dixit; Elocutionem totam esse artis.*

Tertia positio: Falsum est Aristotelem existimasse elocutionem non esse eloquentiæ partem, aut si est, esse parui faciendam. Hoc dixerim contra quosdam, qui aliter de eius sententia sentiunt, quibuscum aliquando hac de re acriter disserui. Nam, si Aristoteles parui faciendam esse existimasset, quid de ea tam accurate, diligenterque scripsisset, vt fecit? In tertio enim libro de arte dicendi per multa capita ipsos elocutionis fontes aperuit, vnde omnes posteriores Scriptores omnia fere exhauserunt. Quod si interdum non multum elocutioni tribuere visus est; id fecit, vt eos Scriptores in inuidiam adduceret, qui nihil de enthymematis & rationibus inueniendis præcipiebant, nec viam aperibant, qua ratione, quæ in disputatione veniunt, facile probari, ac confirmari queant; sed solum de ornamentis oratorijs, & de mouendis affectibus scribebant, ac præcepta dabant.

Quarta positio: Elocutio non consistit in solo verborum ornatu. Est hæc positio contra eos, qui tunc eloquentiam se adeptos esse credunt, cum linguæ latinæ nitorem, & verborum elegan-

elegantiam fuerint consecuti, atq; in hoc vnum potissime incumbendum esse putant. Confirmat hanc positionem priore loco, ipsa elocutionis definitio, quam supra attulimus: in qua dicitur, esse sententiarum & verborum accommodationem. Deinde hæc luculenta M. Tullij testimonia. *Apparatu, opus est, & rebus exquisitis vndique, & collectis, accersitis, & comportatis, & quæ sequuntur.* Et paulo infra: *Ornatur igitur oratio genere primum, & quasi colore quodam, & succo suo: nam, vt grauis, vt suauis, vt erudita sit, & quæ sequuntur.* Non multo inferius. *Quare; vt ante dixi, primum sylua rerum ac sententiarum paranda est, qua de parte dixit Antonius; hæc formanda stylo ipso, & genere orationis; illuminanda verbis, varianda sententijs.* Et sermone primo de Oratore, *Etenim, ait, ex rerum cognitione efflorescat, & redundet oratio: quæ, nisi subest res ab oratore percepta, & cognita, inanem quandam habet elocutionem, & pene puerilem.* Eodem libro, *Quid est enim, ait Crassus, tam furiosum, quam verborum, vel optimorum, atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia, nec scientia?* Huc etiam faciunt hæc grauissima Fabij verba. *Non ideo tamen sola est agenda cura verborum. Occurram enim necesse*

Libro 3. de Ora.

Lib. 8. in proœm.

est, & veluti in vestibulo protinus apprehensuris hanc confessionem meam, resistam, ijs qui omissa rerum (qui nerui sunt in caussis) diligentia, quodam inani circa voces studio senescunt: idque faciunt gratia decoris: quod est in dicendo mea quidem opinione pulcherrimum, sed cum sequitur, non cum affectatur. Corpora sana, & integri sanguinis, & exercitatione firmata, ex ijsdem his speciem accipiunt, ex quibus vires: namque & colorata, & adstricta, & lacertis expressa sunt: sed eadem si quis vulsa atque fucata muliebriter comat, fœdissima sint ipso formæ labore. Et vultus concessus atque magnificus addit hominibus, vt Græco versu testatum est, auctoritatem: at muliebris, & luxuriosus, non corpus exornat, sed detegit

Cic. li. 3. de Ora. *mentem. Similiter illa translucida & versicolor quorundam elocutio, res ipsas effœminat, quæ illo verborum habitu vestiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo esse solicitudinem. Errant igitur, qui eloquentiam in clamore, & verborum cursu positam esse putant.*

Quincta positio: Eloquendi ratio, siue ars, non fuit obseruata a principio, sed post longa tempora reperta est. Ita docet Aristoteles loco supra citato. Idem M. Tullius in Bruto, quo in hoc ita scripsit: Ante Periclem & Thucydidem, qui non nascentibus Athe- Libro 3. cap. 1.

nis,

nis, sed iam adultis fuerunt, litera nulla est, quæ quidem ornatum vllum habeat, & oratoris esse videatur.

Vltima positio: Elocutio diuidi ac definiri potest, vt nos supra in secundo fundamento fecimus. Atque ex his, quæ explicata, & posita sunt, facile rationes in contrarium allatas dissolueres.

Ad primam, patet ex his quæ diximus, dum Aristotelis locum exposuimus, eiusq; mentem aperuimus.

Ad secundam, hæc ratio solum probat elocutionem debere esse moderatam, quod libenter concedimus. Si itaque conuenienter exornetur oratio, non displicet, sed auditorem summòpere delectat, ac detinet.

Ad tertiam, elocutio, quæ est eloquentiæ pars, non est ille ornatus, qui est in oratione, sed est facultas quædam in animo, per quam orationem exornare, ac perpolire possumus: qua facultate qui caret, eloquentiam perfectam habere minime potest. Nihil itaque ratio ista concludit.

Quartam rationem eodem fere modo solueres; sed priuatim respondendo dicerem, elocutionem non solum in verborum ornamentis, sed etiam in sententiarum ponderibus sitam esse, vt supra docuimus.

Quinctam

Quinctam rationem nihil concludere patet ex ijs, quæ in tertio fundamento diximus.

Neque quod sexto loco obijcitur, vrget, cum illa Fabij descriptio, non sit ad elocutionis naturam exprimendam accommodata.

Postrema ratio solum probat quibusdam in locis, non esse opus elocutione, sed vniuerse loquendo nihil concludit, cum Orator non tãtum in senatu, & apud doctos viros dicat, sed etiam apud populum, qui non solum sententiarum momentis, sed etiam verborum elegantia permouendus est.

An memoria sit rhetoricæ pars, Disputatio VI.

QVONIAM *inter antiquos, & nouos dicendi magistros non nulli existimarunt memoriam nõ esse inter eloquentiæ partes reponendam; propterea proposita disputatio nullo pacto a nobis prætereunda fuit: cum præsertim eorum opinio quibusdam fulciri rationibus possit: quæ sunt fere istæ.*

Prima, memoria est vis atque facultas quędam naturalis, quę et si quo modo iuuari potest; tamen non præceptis, sed vsu & exercitatione, vt ipsa experientia docet: quare, si nullis præce

ptis

ptis continetur, ad nullam pertinebit artem, & nullius artis erit particula: cum omnes artes quibusdam contineantur præceptis. Et hinc est, quod nec Aristoteles, nec Hermogenes, nec multi alij rhetoricæ Scriptores de memoria quicquam præceperunt.

Secunda, memoria, Tullio auctore, propria est Iurisperitorum; quorum scientia cum sit fuse lateque dispersa, maximam memorandi vim requirit: non igitur eam Oratoribus tribuere debemus. Huc facit; quod apud eundem legitur: Quandoquidem de memoria, nihil est hoc loco dicendum, quæ communis est multarum artium. Cum ergo Cicero Oratorem perfectum describens, nihil de memoria præcipiendum esse dicat, & cum sit aliarum artium communis; non erit vnius artis propria. Libro 1. de Ora. In Ora.

Tertia, illæ censentur partes eloquentiæ, quę ad eius finem consequendum maximę conferũt; vt supra docuimus: atqui memoria, vt certum est, nihil iuuat persuasionem, cum solum contineat, quæ ad persuadendum faciunt, sicuti panoplia, quæ ad pugnandum, & penus, quæ ad vitam tuendam sunt necessaria: a partibus igitur eloquentiæ excludenda erit. Dispu. 1. & 2.

Postrema ratio, memoria, vt qui de ea aliquid scripserunt, docent, cõstat ex locis & imaginibus: hæc autem sunt varia, & confusa, quæ

prius oportet memoriæ mandare, at retinere; vt possimus deinde res ipsas, quarum sunt imagines, ediscere: at qui multo breuius, & facilius esse videtur res ipsas simpliciter apprehendere, sine tanta locorum, ac imaginum varietate: ergo, etiam si ista artificiosa memoria detur, non erit multum de ea curandum, cum potius memoriam obruat, quam subleuet. Adde etiam, quod memoria quibusdam medicamentis iuuatur, vt Medici tradunt: quo fit vt non possit pertinere ad eloquentiam, quæ nullis medicamentis acquiritur.

In hac disputatione duæ sunt Scriptorum sententiæ: quidam existimarunt memoriam non esse partem eloquentiæ, in quibus Fabius Lib.3. cap.3. Cipr.li. 2.& 3. *numerat Albutium, qui dicebat eam non arte, sed natura contingere. Alij vero contra; quorum opinio est communior: quæ profecto retinenda est. Solet etiam, quod ad hanc disputationem attinet, quæri: An memoria sola exercitatione iuuetur, an etiam quibusdam præceptis: illud concedunt omnes, hoc vero plerique negant, putantes nullam esse vim in præceptis, quæ de arte memorandi traduntur. Nos quid sentiendum sit, quibusdam fundamentis, ac positionibus breuiter aperiemus.*

Primum fundamentum: hæc vox, memoria, varijs modis accipi potest: vno modo pro ea vi

ac

ac facultate, quæ habetur a natura ad memorandum, quæ non solum in hominibus, sed etiam in brutis reperitur: alio modo pro actu ipso, quo memoramur, vt cum dicimus post hominum memoriam, id est, recordationem: postremo pro habitu, seu facultate per artem, & exercitationem acquisita; qua qui est præditus, facile quæ vult apprehendit, ac etiam retinet; quãuis magis in retinendo, quam in apprehendendo memoriæ vis, atque natura posita esse videatur: atque de memoria hoc postremo modo sumpta hoc loco a nobis habetur sermo: quam hunc in modum Oratores definire solent. Memoria est firma animi rerum & verborum dispositionis perceptio. Ita auctor ad Herennium: Tullius fere totidem verbis. Est firma animi rerum ac verborum ad inuentionem perceptio. Hanc memorandi facultatem D. Augustinus animi ventrem vocat; Cicero thesaurum rerum omnium, & artium custodem: Plutarchus eruditionis ταμεῖον, id est, penus: Poetæ Musarum matrem, quam Mnemosynem appellant: & Herennianus auctor præcepta memoriã iuuãntia, mnemonica vocauit. In memoria excolenda multum operæ posuerunt antiqui: de qua re posteriores multa literis commendarunt; vt cum de memoria priuato libro agemus, demonstrabitur. Quod si quis hanc eloquentiæ partem vel-

Lib. 1.

Lib. 3.

let exactius describere, posset hunc in modum dicere. Memoria est facultas arte, & exercitatione acquisita, qua cito res comprehendũtur, firmiter retinẽtur, ac facile promunt. Hæc enim tria ad perfectã memoriam constituendã necessaria esse videntur: vt quis cito apprehendat, bene retineat, ac quæ retinet facile promat. Solet autem memoria a Scriptoribus in duas distribui partes; quarum altera dicitur memoria naturalis, quæ ab ipsa natura habetur: altera artificiosa, quæ quibusdam præceptis, & exercitatione comparatur: verum, vt omnes scribunt, maior quædam vis est in exercitatione, quam in præceptis. Rursus, artificiosam diuidunt in memoriam singulorum verborum, & sententiarum: memoria singulorum verborum est, cum singulę constituuntur imagines, quæ singula repręsentent verba: sententiarum autem, cum aliquod signum fingitur, cuius monitu, alicuius integræ sententiæ recordamur. Denique, artificiosa memoria duabus constat rebus; locis nimirum & imaginibus: Loca sunt veluti charta, in qua scribitur: imagines sunt quasi literæ, & characteres, quorum intuitu memoria excitata, facile recordamur, vt sequẽti fundamento dicam.

Mar.Capel. Quinct. Ioan.Cęsar.

Secundum fundamentum: in quo, contra quorundam sententiam demonstrandum est, me

morandi

morandi præcepta aliquam vim ad iuuandam memoriam habere. Quamuis ergo memoria maximum fundamentum habeat in natura, cum ad eius bonitatem vires quædam naturales, & organa recte constituta, bonusq; corporis habitus sint necessaria; quo fit, vt qui nimis sicco, aut humido vtuntur cerebro, non ita valeant memoria; quod in illo rerum imagines non facile imprimantur, in hoc vero impressæ non retineantur: tamen, multum per artem memorandi, quæ potissimum in locis & imaginibus sita est, adiumenti afferri potest. Nam, cum intellectus humanus, cuius est reminisci, nihil possit intelligere, nisi intercedente phantasmate, hoc est, idolo quodam, quo res, quas intelligit, fiunt præsentes; & phantasia, cum sit vis materialis, non excitetur nisi a re sensibili, & maxime si quem motum, aut gestum faciat, habeatue aliquid admirabile; hinc est, vt earum rerum quarum recordari volumus imagines, vim maximam habeant ad excitãdam memoriam, dum ipsam phantasiam afficiunt. Sed dices, quonam modo imagines, quæ sunt omnino a re cuius meminisse volumus diuersæ, possunt eam in nostrã memoriam reuocare? Responderem, id ex eo fieri, quod imagines sunt veluti picturæ quædam & similitudines rerum quarum recordari volumus: atqui, vno cognito simili, facile in id

Arist. li. 3. de anima. tex. 30.

Arist. li. mem. & rem.

cuius

Simon Lucen. com. in lib. de mem.

cuius est simile deuenimus. Et hoc est præcipuum in arte memoriæ de imaginibus præceptum; vt imagines cum re, quam repræsentare debent, similitudinem habeant aliquam. Cum ergo imago rem, cuius est imago in se aliquo modo contineat, eam profectò nobis repræsentare potest. Confirmat hanc doctrinam ipsa experientia: quia, qui hanc artem callent, & artificiosa memoria vtuntur, ea efficiunt, quæ sine arte alius efficeret nemo. Vt, quod diu retineantur, quæ semel memoriæ tradita sunt: quod tota oratio inuerso ordine recitetur: quod quæ semel ab aliquo dicta sunt, comprehendantur, & id genus alia. Adde etiam, quod si quis diligenter animaduertat, intelliget se nihil ediscere sine alicuius loci, & imaginis, siue signi obseruatione. Vt, quod aliquid sit in principio paginæ, initio carminis, & initium habeat a litera maiuscula; sed de his plura alibi scribentur. Maneat igitur fixum aliquam esse posse memorandi artem, atque aliquid momenti ad iuuandam naturalem memoriam artificium conferre. Sed cuius nam artis sit propria, non satis constat, qua de re sequenti fundamento disputabitur.

Tertium fundamentum, in quo docebitur, cur memoria potius Rhetoricæ, quam alterius artis pars censeri debeat. Quamuis ergo omnes

nes artes, & scientiæ aliqua ratione memoria indigeant: tamen eius artis particula putanda erit, quæ priuata quadam ratione memoria innititur, eaque potissimum indiget. Et licet M. Tullius Iurisperitorum memoriam in Oratore requiri dixerit, quod illis ob varietatem, atque confusionem rerum, quæ in illa arte tractantur sit multum necessaria; veruntamen, nulla, meo quidem iudicio, est humana ars, quæ maiorem memorandi vim, atque oratoria facultas, requirat. Nam, Orator, præterquam quod omnium ac maximarum rerum cognitionem memoria complecti debet, sæpe longas orationes varia capita continentes, coram populo totidem sententijs, & verbis, quibus scriptæ fuere, sine vllo lapsu, si existimationis iacturam facere vult, recitare debet: quia, si, vel semel, ob memoriæ imbecillitatem orationem interrumperet, vel aliquid immutaret, suum finem non consequeretur, sed cachinnos commoueret, & exibilatus a concione recederet. Propterea Cicero inter alia vitia, quæ in Curione notauit, illud fuit, quod interdum, cum tria proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quæreret. At vero Iurisconsultus suo officio optime fungi potest, etiam si tanta memoria non sit præditus: cum non debeat

Libro 1. de Ora.

In Bruto.

S quæ

quæ dicturus est, ita ad vnguem memoriter recitare. Adde etiam, quod memoriæ imbecillitas mirum in modum impedit actionem, quæ quantum sit in Oratore necessaria, postea dicetur. His ita notatis statuo has positiones.

Prima positio: De ratione excolendæ memoriæ tradi possunt præcepta, quibus ars quædam memorandi conficiatur. Hoc posuerim contra eos, qui nullis præceptis hanc vim iuuari posse existimarunt. Et quod isti hallucinentur ipsa experientia apertissime demonstratur. Videmus enim eos qui præceptis quibusdam ad recte memorandum vtuntur, facile multa apprehendere, diutius retinere, ac quæ retinent expeditius promere: & denique ea facere, quæ qui arte carent, etiam si memoria naturali polleant, efficere non queunt. Huc facit hic luculentus Ciceronis locus. Exercenda est etiam memoria, ediscendis ad verbum quamplurimis, & nostris scriptis, & alienis. Atque in ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere, si consueueris, etiam istam locorum simulacrorumque rationem, quæ in arte traditur. Et quoniam in re versamur manifesta, non est quamobrem eam pluribus confirmemus.

Libro 1. de Ora.

Secunda positio: Memoria potius Rhetoricæ,

ritæ, quam alterius artis particula iudicanda eſt. Confirmat primum hanc poſitionem communis ſcriptorum ſententia, & priuatim M. Tullij his locis: In Bruto ceterarum ingenij partium cuſtodem appellat: hanc igitur ſi partem remoueres, ceteræ effugerent partes. Alibi hac de re ita ſcribit: Sed earum omnium rerum, vt ædificiorum, memoria eſt quaſi fundamentum, lumen actio. Deinde, vt explicatum eſt, priuata quadam ratione Orator magis indiget memoria, quam vllus alius artifex: non ſolum ob rerum multitudinem, quas debet memoria complecti, ſed etiam ob expeditam & profluentem in dicendo celeritatem: ergo debuit hanc partem ſibi adſciſcere, tanquam propriam. Poſtea, licet memoria ex ſe, & proxime nullam vim habeat ad perſuadendum, quam ob cauſſam variæ partes Rhetoricæ tribuuntur: tamen, cum ipſa ſit rerum inuentarum, diſpoſitarum, atque exornatarum theſaurus, & quaſi pronũtiationis origo, cum ex ea tanquam ex quodam viuo fonte tota profluat oratio, perſuadere volenti erit maxime neceſſaria: & ad eam artem pertinebit, cuius finis eſt perſuaſio. Eſt itaque memoria in Oratore veluti venter in humano corpore; qui, & ſi nihil operetur, vt pedes & manus faciunt, ſed ſolum cibum re-

Lib. de opt.gen. orat.

cipiat, inque alias partes ſuccum tranſmittat; non propterea inter corporis membra numerandus non erit. Idem de memoria dicas, quæ dicenda recipit, & effundit. Poſtremo, cum nulla alia ſit ars, vel ſcientia quæ de memoria præcepta tradat, niſi rhetorica, cum vſque a primis incunabulis de ea ſemper aliquid præceperit, & in hac poſſeſſione perſeuerauerit, iam hanc ſibi partem, tot ſeculorum ſpatio præſcripſit.

Tertia poſitio: Maior vis memorandi in natura atque exercitatione poſita eſt, quam in artis præceptis. Hanc doctrinam omnes fere docent, qui de memoria aliquid ſcribunt: & propterea, qui memoriam ſibi comparare volunt, quotidie aliquid ei tradant, & ab ea repetant: in qua exercitatione, qui ſentitur labor maxima vtilitate compenſatur.

Poſtrema poſitio: Memoria definiri, ac diuidi congruenter poteſt, vt in fundamentis diximus: ex quibus facile argumenta in contrarium allata diſſolueres.

Nam, quod in prima ratione ſumitur, falſum eſt, cum aliqua memoriæ excolendæ præcepta dentur, quæ magnam vim hebent; vt alias planius dicetur. Quod ſi Ariſtoteles, & aliqui alij de memoria nihil præceperunt, non eſt mirum: quia Ariſtoteles de ijs parti-

bus

bus priuatim scripsit, quæ non fuerunt ab aliis ita diligenter tractatæ, & de iis, quæ maiorem habebant difficultatem. Neque omnes, qui de rhetorica scripserunt, omnes sunt prosecuti partes; sed aliqui quasdam consulto prætermiserunt, vt de Hermogene constat.

Quando autem M. Tullius memoriam Iurisconsultorum in Oratore requirit, non vult innuere hanc partem ad eos tantum pertinere; sed solum docere, magnam in Oratore requiri memoriam: ad quod explicandum exemplum a Iurisconsultis sumpsit: qui ob assiduum vsum, rerumque, quas memoria continent varietatem, magnæ memoriæ esse dicuntur. Quod si idem in Oratore nihil de memoria præcipiendum esse dixit, id ei mirum non videbitur, qui intelliget, eum eo in libro de elocutione speciatim præcepta tradere voluisse. Cur autem memoria sit magis necessaria Oratori, quam Iurisperito, supra docuimus.

Tertia ratio soluitur ex iis, quæ in tertia probatione secundæ positionis diximus: quia, licet memoria non persuadeat; tamen necessaria est ad persuadendum.

Postrema ratio, quo pacto sit soluenda, patet ex secundo fundamento, vbi explicuimus cur imagines in locis positæ vim habeant ad excitandam memoriam: & licet a principio

aliquid incommodi illa locorum & imaginum inuentio ac constitutio habere videatur; tamen, vbi semel res memoriæ tradendæ, collocatæ fuerunt, diutius hærent, atque facilius occurrunt. Atque de hac rhetoricæ parte hæc dicta sufficiant.

An pronuntiatio sit Rhetoricæ pars, Disputatio VII.

EX *quinque partibus, quas eloquentiæ tribuendas esse diximus, quattuor hactenus diligenter examinauimus: restat igitur, vt de quincta disputare aggrediamur. Et quoniam non defuerunt, qui hanc partem rhetoricæ negarunt, nec desunt argumenta, quibus eorum opinio aliquo pacto confirmari possit, ideo rem hanc in dubium reuocauimus. Quod autem pronuntiatio non sit rhetoricæ pars his rationibus demostratur.*

Lib. 3. cap. 1. *Primum, auctoritate Aristotelis, qui de pronuntiatione verba faciens, dixit, esse rem parum honestam: non esse artificiosam, esseque quandam naturalem aptitudinem: adde etiam, quod nihil de ea præcepit, quod etiam*

etiam quidam alij Scriptores fecerunt, igitur.

Deinde, optima pronuntiandi forma ea esse putatur, ac re vera est, vt in pronuntiando naturam sequamur ipsam, ita vt pronuntiatio sit familiaris, & a communi loquendi vsu minime aliena: atqui de his, quæ a natura habentur, & vi naturæ efficiuntur, nulla dantur præcepta, nec enim quispiam est, qui vllo indigeat præcepto ad videndum, sentiendum, & gustandum: nulla igitur poterit esse de actione præceptio.

Præterea, esto de ea aliqua posse esse præcepta: tamen illa non a rhetorica, sed ab arte histrionica petenda erunt: quæ in hoc vno præcipue est occupata, vt recte pronuntiet, & agat. Ideo M. Tullius in Oratore vocem tragœdorum, & gestus pene summorum actorum requirebat: & alibi, totam hanc artem a scenicis petendam esse docuit: igitur. Libro 1. de Or.

Postremo, agendi & pronuntiandi ratio, non scriptis, sed actione, & locutione demonstrãda est: ergo de ea nulla præcepta, saltem scriptis, dari queunt; nec enim quispiã verbis exprimeret, vocis mutationes, & totius corporis, & vultus pro rerum varietate gestus.

Quod ad opiniones attinet, Thrasymachus, referente Fabio, existimauit pronuntiationem non esse eloquentiæ partem, ob eam caussam, Lib. 3. cap 3.

 quod

quod potius ad naturam, quam ad artem pertineat. Verum, communis rhetorum opinio contra sentit: quæ profectò retinenda est: ad cuius explicationem quædam fundamenta nobis ponenda sunt.

De hac par. agit Quinct. li. 11. c. 3. Auctor ad Her. lib. 3. Trapez. lib. 4. Ludoui. Granat. lib. vlt. Lib. 1.

Primum fundamentum: hæc rhetoricæ pars solet appellari communi vsu, pronuntiatio, & actio: illud nomen, a voce, hoc vero a motu & gestu corporis sumptum esse videtur: Cicero, aliquando, quasi sermonem, alias quandam corporis eloquentiam appellat: & ideo nomine elocutionis, de qua supra egimus, interdum hanc etiam partem complectitur. Græci, προφορὰν, & ὑπόκρισιν nominant: quam auctor ad Herennium hac ratione finiuit. Pronuntiatio est vocis vultusq; & gestus moderatio cum venustate. Ait hic auctor pronũtiationem esse moderationem, hoc est temperationẽ,

Ascẽ. in hunc locum. Anton. Manc. Libro 1. Offic. Franc. Matur.

& vt Ascensius loquitur, modificationem vultus, vocis, & gestus, quia in his tribus potissimum pronuntiatio spectatur: addit, cum venustate, hoc est, exponente Antonio, cum decoro, dignitate gratia, ac venere, vnde venustas dicta est. Est autem venustas ex Cicerone illa pulchritudo, quæ mulierem decet: dignitas vero, quæ homini congruit: vel dicit cum venustate, vt alij exponunt, vt oratoriam actionem a scenica distinguat. Debet ergo pronunciatio

esse venusta & decora vocis moderatio, vt nunc sit lenis, nunc aspera, nunc suauis: & vultus, nunc tristis, nunc seuerus, nunc lętus: & gestus, scilicet manuum capitis, & totius corporis motus, qui debent esse voci & rebus accommodati. M. Tullius hoc pacto: Est ex rerum & verborum dignitate, vocis & corporis moderatio. Moderatio itaque vocis & corporis, id est actionis debet esse pro rerum, ac verborum conditione, vt scilicet alia voce, gestuque, magna, alia humilia, alio lęta, alio mœsta dicenda, & exprimenda sint. Huc faciunt hæc Horatiana carmina: Lib.1. de Inuen. De arte poet.

Vt ridentibus arrident: ita flentibus adsunt,
Humani vultus: si vis me flere, dolendum est
Primum ipsi tibi: tunc tua me infortunia lędent.

Neque enim fieri potest, vt doleat is, qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimescat aliquid, vt ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ij motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse, atque iniusti videbuntur. Verum, de pronuntiationis & actionis ratione plura alibi a nobis dicenda sunt. Nunc aliqua Cic. li.2. de Orat.

de eius

de eius partibus ac speciebus dicamus.

Secundum fundamentum: pronunciationis partes varie solent explicari; nam alij plu-
Mar.vic. *res, alij pauciores faciunt. Aliqui totam pronunciandi rationem in vocem & corpus*
Cic.li.1. de orat. *diuidunt, iuxta definitionem M. Tullij paullo ante allatam: corporis vero actionem, in motum membrorum, & in vultum subdiuidunt.*
Streb. in hunc locum. *Alij tres partes faciunt; diuidentes eam in vultum, sonum, & gestum. Vultus est quidam habitus oris, qui animi affectum prodit. Sonus, est, qui aeris percussione varijs instrumentis oris facta, eliditur. Gestus, est localis membrorum corporis motus. His itaq; tribus rebus animus sese declarat. Sunt enim ista in homine veluti in cythara nerui, qui ita sonant, vt tacti fuerint. Quo fit, vt omnis actio ab animo tanquam a quodam fonte profluat: qui vt varie est affectus, ita varie sese*
Streb.li. 1. de or. *manifestat. Alij, quattuor in pronunciatione spectanda esse dicunt, vocem, spiritum, totius corporis gestum, & linguæ motum. Vox auribus incidit, spiritus elidit vocem, corporis gestus in oculum cadit, lingua verba conformat. Tu vero posses hanc partem primum diuidere in vocem, & motum: Vocem iuxta tres accentus subdiuideres in elatam, seu erectam: in grauem, seu depres-*

ſam: & in mediam, ſeu circumflexam. Item, Cic. li.3. de orat.
diuideres penes qualitatem, & quantitatem vnde varia oriuntur vocum genera. Lené, quod leni voce pronunciandum eſt: Dulcia linquimus arua. Aſperum, quod aſpera: Dic mihi Dameta, cuium pecus? Contractum, quod ſpiritu breui, & contracto pronunciatur: Mene mutire nefas? Diffuſum: Tantæ molis erat Romanam condere gentem. Continens, vno ſpiritu proferendum. Aſpera compoſitis miteſcent ſecula bellis. Interciſum; Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit? Attenuatum, gracili voce pronuntiandum. Aliud verò inflatum & turgidum. Aſt ego quæ diuum incedo regina, &c. Poſſunt etiam vocis genera diuidi prò diuer- Lib.3.de orat.
ſitate affectionum animi. Ira, vocem acutam, incitatam, & crebro incidentem requirit. Metus, demiſſam, hæſitantem, abiectam, & interciſam. Voluptas, effuſam, ſolutam, lenem, hilarem, ac remiſſam. Moleſtia, & commiſeratio, grauem, non variam, ſed vno modo compreſſam. Itaque tot debent eſſe vocis mutationes, quot animorum: quo fit, vt vox mutanda ſit, ad amorem, odium, beneuolentiam, ſpem, timorem, cupiditatem, ægritudinem, lętitiam, miſericordiam, acerbitatem, & ad alias ſimi-

les

les animi commotiones. Motus subdiuiditur in gestum, atque vultum. Gestus est aptus motus corporis, & membrorum, & partium eius, vt capitis, frontis, oculorum, oris, ceruicis, laterum, brachiorum, manuum, digitorum, pectoris, ac pedum. Vultus est in sanguine, & oris habitu quodam, qui animi motus prodit:
In Ora. *qui, vt Cicero ait, in actione, post vocem, dominatur. Hoc, ait Quinctilianus, supplices, minaces, blandi, tristes, hilares, erecti, summissiq; sumus. In vultu duo probantur, dignitas, idest maiestas quædam, & venustas, hoc est elegantia, quæ spectatori placet. In eodem vultu, duo notantur vitia, vultuosum nimirum, & ineptum. Vultuosum, non triste, vt quidam interpretantur, cum vultus tristis sæpe deceat; sed nimis variatum, atque mutatum.*
Victor. *Nam, auctore Nigidio, nomina in, osus, ni-*
In Ora. *mium, & præter modum significant: Ineptum, quod, aut personæ, aut rei, aut tem-*
Vide *pori, aut loco non est accommodatum. In*
Quinct. *vultu siue in ore plurimum valent, ac domi-*
Cice. in Orat. *nantur oculi, qui sunt præcipui animi indices. Propterea Roscius cognomento, comœdus, a populo Romano, cum personatus agebat, non audiebatur libenter, quod persona oculorum motus, & totius oris gestum impediret. Atque hæc de partibus pronunciationis: nunc de speciebus.*

ciebus. Pronuntiatio, siue actio primum diuidi potest in duas species; nam altera est actio naturalis, aptitudo nimirum illa, quæ habetur a natura ad animi sui sensa idonee exprimenda: altera artificiosa, quæ præceptis quibusdam, ac exercitatione acquiritur. Rursus alia est actio histrionica, qua actores poematum vtũtur: alia oratoria, qua Oratores: quæ duo actionum genera quantum inter se distent, paullo post pluribus explicabo. Atque de hoc fundamento satis.

Tertium fundamentum: Olim antiqui poetæ fabulas a se compositas in theatris recitare solebant, vt Aristoteles scripsit, & ex Plutarcho in vita Solonis, discitur. Quod etiam Venusinus Poeta, hoc carmine, aperte indicauit. Libro 3. rhet. c. 1. In poet.

Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.

Post hunc personæ.

Quare, illis temporibus actio communis erat, tum eloquentiæ, tum poeticæ: & tam poetæ, quam Oratores in actione ad animos commouendos, & mores exprimendos sese exercebant: & ad animi sui sensa melius explicanda modum quendam in voce, gestu, motuque corporis adhibebant. Postea vero quam poetæ agere desierunt, & sua poemata alijs recitanda tradiderunt; omnis pronuntiandi ars ab histrionibus

nibus & comœdis fere occupata fuit; & propterea aliqui rhetoricæ Scriptores de actione nihil scribere voluerunt. Ideo Cicero aliquando dixit: Legendi sunt poetæ; cognoscenda histrionica. Nec propterea existimare debemus Oratorem hac parte fuisse spoliatum, cum in eius possessione semper perseuerauerit. Neque absurdum videri debet, si artes omnino diuersæ, vt sunt histrionica, & oratoria in hac communi facultate conueniant; cum id in alijs etiam artibus videre liceat. Nam limare, & perpolire fabro ferrario, cælatoribus, ac aurificibus commune est: sicuti secare, & dolare, fabris tignarijs, & statuarijs. Et quoniam dissimilium artium dissimiles sunt fines; hinc fit, vt facultates pluribus artibus communes, sint etiam inter se dissimiles: Siquidem alia est secandi, & poliendi ratio in marmore, alia in ligno. Ex quibus colligitur, non propterea, quod agendi ars potissimum ab histrionibus occupata fuit, a Rhetorum scholis omnino discessisse: quoniam eadem facultas ad vtramque artem pertinere potest; cum vtriusque alia, atque alia sit agendi ratio; vt sequenti fundamento plane explicabo.

Libro 1. de Ora.

Quartum fundamentum: inter actionem scenicam; & oratoriam, hæc potissimum discrimina

scrimina adnotare possumus: primum, actio scenica veritatem imitatur, oratoria vero, ipsam veritatem suscipit. Histriones enim non dolent, sed dolorem simulant: non miserentur, sed se misereri fingunt: nullo denique vero animi motu commouentur, sed commoueri videntur. At Oratores vere agunt, & ex animo eosdem ipsi motus suscipiunt, quos in aliorum animis excitare volunt; vt qui ea dicant, quæ ipsi sentiunt, quæ excogitarunt, non quæ alij. Lege Ciceronis in oratore luculentum locum, qui ita habet, Nec vero miseratione solum mens iudicum permouenda est, & quæ sequuntur. Hoc discrimen colligitur ex sermone tertio de Oratore, vbi ita scribitur. Hęc eo dico pluribus, quod genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt; imitatores autem veritatis histriones occupauerunt. At sine dubio in omni re vincit imitationem veritas. Deinde, comędorum actio tota ad auditorum voluptatem refertur, & illud vnũ spectat, vt auditorem delectet: oratorum vero ad motus varios in animis auditorum gignendos, et ad persuadendum. Non enim caussas dicit orator, vt ridiculus videatur, sed vt proficiat aliquid. Postea actio mimica, & voce, & gestu, & motu corporis, & membrorum longe diuersa est ab oratoria:

Libro 3. de Ora.

Libro 2. de orat.

oratoria: quare, si oratorem scenica actione in forum, & comœdum oratoria in scenam indutum duceres, homines ridiculos ob tantam metamorphosim proponeres. Postremo, ne plura afferam discrimina, ethologorum, siue mimorũ actio, sæpe impudica, obscena, & parum decora existit, & gesticulationibus non multum honestis vtitur: Oratorum vero pronunciatio, omnẽ obscenitatem, ac turpitudinẽ vitat: & hinc est, vt ij qui de oratoria actione scribunt, scenicos motus in oratore damnent: Et Cicero Oratori scurilem dicacitatem magnopere fugiendam esse docet: quo fit, vt sicut dictio est diuersa, ita & actio. Vnde in Bruto de Sulpitij actione loquens, ita scribit. Fuit enim Sulpitius vel maxime omnium, quos quidem ego audiuerim grandis, & vt ita dicam, tragicus orator. Vox tum magna, tum suauis, & splendida: gestus & motus corporis ita venustus, vt tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur.

Li. 2. de Orat.

Vltimum fundamentum: quamuis ex quadam naturæ prauitate fieri videatur, vt homines non ita libenter alios loquentes audiant, nisi quadã vocis & corporis moderatione vtantur; idq; ex eo perspicuum est, quod viri alias valde eruditi & eloquentes, ni mediocri saltem actione sint præditi, parum probantur, & non libenter audiuntur: tamen, si quis accuratius rem

hanc

hanc perpenderet, viderent profecto ad hominem rationis sermonisq; capacem pertinere, vt sua animi sensa cum quadã vocis & gestus moderatione exponat, vt quæ dicit planius, & efficacius dicat, & quasi spiritum, vitamq; agendo tribuat orationi: cũ multi sensus, qui in oratione, & in animo latent, sine congruenti actione exprimi non queant: vt patet, si duo eadem Virgilij carmina legerent; sed vnus quasi dormitãs, alter vero vigilans ea pronuntiaret. Quare, & si maior quædam interdum actio ex auditorum prauitate in oratore requiratur, sicuti ob eandem caussam in homine alias veraci, requiritur iusiurandum: quo factum est, vt qui in scena actione præstarent, maiora prẹmia, honoremq; ampliorem referrent; & in certamine forensi, vt quisque maxime actione excelleret, ita magis probaretur, ac libẽtius audiretur: tamẽ, cum congrua actio ad rem de qua agitur magis demonstrandam, explicandamq; conferat, non tantum ex auditorum prauitate, sed etiam sua natura, in oratore desideratur: & ideo iure optimo homines, ita sunt animati, vt nihil libenter audiant, nisi id, quod cũ quadam dignitate, atq; venustate fuerit pronunciatum. Quod autem ab eo qui agit bona pronunciatio seuere exigatur, docet M. Tullius, cum ait: Histrio, si paullũ moueatur extra numerũ, aut si versus pronunciatus est

Aristot. li. 3. c. 2.

In tertio Paradoxo.

tus est syllaba vna breuior, aut longior, exibilatur, & exploditur. Quæ hoc fundamento diximus possunt etiam optime accõmodari ad demonstrãdum quam in oratore necessaria sit eloqutio. His ita adnotatis, quid sit in hac disputatione dicendum, his positionibus explicabo.

Prima positio: Pronunciatio non est tota a natura; ac proinde aliqua pronunciationis ars fieri potuit. Patet hæc positio, primum auctoritate Aristotelis, qui cum hac partem ab aptitudine naturali pendere dixisset, addidit, esse minus artificiosam, quam ceteras partes: nõ caret igitur arte, licet sit minus artificiosa: & paullo infra, ait artem histrionicam constitutã fuisse, quæ tota in actione versatur. Idem confirmatur ex M. Tullio hũc in modum de hac re scribente: At sine dubio in omni re vincit imitationẽ veritas: Sed ea, si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus: verum, quia animi permotio, & quæ sequuntur. Et alio loco: Ac vocis quidem bonitas optanda est: non est enim in nobis: sed tractatio atq; vsus in nobis: poterunt igitur de vocis tractatione præcepta dari. Adde præterea, quod videmus quosdam, vel naturæ bonitate, vel aliqua cõsuetudine melius agere, quam alij agant: igitur potuerunt notari præcepta quædam, quę in agendo non paterentur errare. Denique, plures olim fuerunt,

[Margin: Li. 3. c. 1.] [Margin: Libro 3. de orat.] [Margin: In orat.]

atque

atque nunc sunt, qui de actione præcepta tradiderunt, quorum maximus est vsus, igitur: Fatemur tamen longe melius voce, & re ipsa, quam literis hanc artem doceri.

Secunda positio: Pronunciatio magnam vim habet ad perfectum oratorem constituendum. Quod orator pronunciatione perficiatur, patet in primis auctoritate summi oratoris Demosthenis, qui interrogatus, quid esset in dicendo primum, actionem, quid secundum, idem, & idem tertium respondisse, scribitur: itaque primas, secundas, & tertias actioni tribuit. Et M.Tullius, vnam actionem in dicendo dominari dixit: Idem, actionem quasi eloquentiam corporis esse affirmauit: at orator potissimum eloquentia perficitur, igitur. Adde etiam, quod multi, qui alijs partibus præstabant, quia in agendo parum valebant, a numero perfectorum oratorum exclusi fuere: Deformitate enim agendi, vt ait Cicero, viri alias diserti, infantes habiti sunt. De Curione, cum inepte ageret, C. Iulius quæsiuit, Quis loqueretur e lintre, quod toto corpore vacillaret. De eodem Cn.Sicinius Cn. Octauio Curionis collegæ, dixit: Nunquam collegæ tuo gratiam referres, qui nisi se suo more iactauisset, hodie te istic muscæ comedissent: aderat enim ob dolorem artuum vnguentis delibutus. C.Fimbria ob actionem immoderatam inter di-

Cic.in Bruto.

In orat.

Libro 3. de Ora.

In orat.

In Bru.

sertos quasi insanus habitus est. Hortensium oratorem insignem, Dionysiam, appellabat Torquatus, quod in gestu plus artis haberet, quam deceret, vt saltatricula illa. Huc facit, quod de Lentulo Cicero scriptum reliquit, cęterarum virtutum dicendi mediocritatem, actione occultasse, in qua excellens fuit. Denique, Isocrates quod voce vteretur non bona, nullas caussas in foro egit: vnde factum est, vt in oratorum numero non ponatur is, qui eloquentię pater nominatus fuit.

Gel.li.1. cap.8.

In Bruto.

Tertia positio: Pronunciatio habet vim pręcipuam ad delectandum, mouendum, ac persuadendum. Nulla res, ait Cicero, magis penetrat animos, eosque figit, format, flectit, talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volunt. Et alio loco: Nam & infantes actionis dignitate, eloquentiæ sæpe fructum retulerunt. Et cum ibidem sententiam Demosthenis retulisset, hæc verba subiecit: Si enim eloquentia nulla sine hac, hæc autem sine eloquentia tanta est, certe plurimum in dicendo potest. Huc pertinet, quod poetarum carmina longe magis audita, modo ab optimo histrione pronuncientur, delectent, quam lecta. Propterea M. Tullius aliquando actionem eloquentiæ lumen appellauit: quod non tanti referat, qualia sint, quæ intra nosmetipsos composuimus,

In Bruto.

In orat.

De opt. gen. or.

mus, quam quo modo efferantur. Huc facit, quod quidam scribunt, Aeschinem Rhodijs Demosthenis defensionem legere audiētibus, atque mirantibus, dixisse; Multo magis fuisse miraturos, si ipsum audiuissent: in calamitate inimicus de aduersario luculētum tulit testimonium. Itaque, vt Tullius scribit, nec vnquam is, qui audiret, incenderetur, nisi ardens ad eum perueniret oratio. Et cum de vehementia dicendi, qua vti ipse solebat, ob quam caussam ei perorationem omnes relinquebant, loqueretur, dixit, Quæ qualiacūque in me sunt (me enim ipsum nō pęnitet quanta sint) sed apparēt in orationibus: & si carent libri illo spiritu, propter quem maiora illa, cum aguntur, quam cum leguntur, videri solent. Et vt hunc locum verbis eiusdem Tullij cōcludamus, hæc ipsa omnia perinde sunt, vt aguntur. Actio, inquam, in dicendo vna dominatur: sine hac summus orator esse in numero nullo potest, mediocris hac instructus sūmos sępe superauit: & paullo infra de actione Gracchi agens, ait, Quæ sic ab illo acta esse constabat oculis, voce, gestu, inimici vt lacrymas tenere non potuerint. Cic. li. 3. de Orat. D. Hier. Phi. li. 7. Lib. 5. de Orat. Lib. 3. de Orat.

Quarta positio: Actio, seu pronunciatio est pars eloquentiæ, siue rhetoricæ. Patet in primis hæc positio ex communi meliorum Scriptorum sententia: Quam deinde, omnia fere, quæ hacte- Auct. ad Her. libro 3.

nus explicuimus, & probauimus confirmant. Nam, si orator non est sine actione perfectus, si a foro abstinet, qui hac facultate caret, si non libenter auditur, immo etiam exploditur, si deniquè actio vim habet præcipuam ad persuadendum, hæc pars erit, maxime rhetoricæ propria. Deniquè, ne in re manifesta pluribus immorer, si in numero oratorum non habentur, qui causas non agunt, vt alias docuimus; sicuti apud nos non censetur concionator, qui conciones non habet, profectò concludere licet actionem esse eloquentiæ partem: ita vt post elocutionem sit ei maxime propria.

Lib. 1. disput. 1.

Quincta positio: Pronunciatio nō est ita propria eloquentiæ, vt etiam alteri facultati non conueniat. Nam, olim erat ei communis cum poetica, cuius actio postea ad histriones transiuit, quibus cum deinde communis fuit.

Libro 3. de Ora.

Lib. 3.

Sexta positio: Pronunciatio, & actio oratoria est longe diuersa à scenica. Patet hæc positio ex his, quæ supra scripsimus. Ad cuius confirmationem faciunt hęc auctoris Herenniani verba: Et acrimoniam esse in gestu, nec venustatem conspicuam, nec turpitudinem esse; vt, aut histriones, aut operarij videamur esse. Idem, monet, ne ab oratoria consuetudine ad tragicam transeamus.

Lib. 3.

Septima positio: Pronuntiatio potest definiri, ac

ri, ac diuidi, vt supra fecimus. Et quamuis, quod ad diuisionem attinet, aliquid absolutius dici potuisset: tamen ista subtilius examinare, atque ad tenue limare, nihil est necesse.

Octaua positio: Oratoria actio pro caussarũ, locorum, ac personarum varietate immutanda est: ita vt aliter in foro, aliter in senatu, aliter in concione dicendum sit. Patet hæc positio, ex his M. Tullij verbis: In Scauri oratione sapientis hominis & tecti grauitas summa; & naturalis quædam inerat auctoritas; non vt caussam, sed vt testimonium dicere putares; cũ pro reo diceret. Hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum videbatur; ad senatoriam vero sentẽtiam, cuius erat ille princeps, vel maxime.

Vltima positio: Ad hanc partem excolendam magis exercitatio & vsus, quam vlla præcepta conferunt: ad rectam autem exercitationem eius meminisse oportet, omnem actionem, quasi ex quodam fonte oriri ex animo. Est doctrina certissima, quam speciatim auctor Herennianus tradit. Auctor ad Herẽ. lib. 3.

Argumenta in cõtrarium allata hunc in modum solueres: de primo, cũ Aristoteles ait actionem parum honestam videri, intellige eo modo, quo supra de elocutione diximus; videlicet si spectemus auditorum prauitatem; ac si dixisse: nihil ex se demonstrare; sed si quid ad demon-

ſtrandum confert, id ex eo fieri, quod auditores actionis dignitate, & vi affici volunt: Immo Ariſtoteles ipſe ait vim magnam habere: Cur autem ipſe & alij non nulli de actione nihil ſcripſerint, ſupra docuimus: vel quia iam exorta erat ars hiſtrionica, a qua non nulla bene agendi præcepta peti poterant: vel quia hæc pars minus artis habet, & quod habet non ita facile verbis exprimitur.

Secunda ratio ſic diluitur: & ſi pronunciationis ratio potiſſimum naturam ſequatur: tamen, cum non omnes a natura idoneam pronunciandi rationem habeant, & qui habent, non omni ex parte perfectam; ideo aliqua arte opus fuit ad eam perficiendam: vt de tota eloquentia, & alijs partibus diximus.

Tertia quo pacto ſit ſoluenda, ſatis ex dictis liquet: nam, licet hiſtriones hanc artem occupauerint; tñ non omni ex parte fecerunt ſuam, cum eorum actio ab oratoria ſit longe diuerſa: quando aũt Cicero requirit in Oratore geſtum pene ſummorum actorum, ſignificare vult, ſe in oratore deſiderare optimam agendi rationẽ: & animaduerte, quod ait, pene, vt diuerſam pronunciandi artem indicaret. Cur aũt ab illis petẽdam eſſe aliquando dixerit, iam explicuimus; tum quia eorum actio aliquid Oratori conferre poteſt: tum ẽt, quod ipſi eo tempore hãc partem

potissimum occupauerant: tum etiam, quod fortasse aut nihil, aut parum de ea a Rhetoribus scriptum fuerat.

Postrema ratio solum probat hanc partem, ipso vsu, quam scriptis posse doceri: quod nos libenter fatemur: sed tamen adhibitis praeceptis, per artem iam obseruatis.

An iudicium sit sexta Rhetoricae pars, Disputatio VIII.

SEXTAM *rhetoricae partem his quinque, de quibus hactenus disputauimus, addendam esse, nimirum iudicium, quidam huius artis professores iudicarunt: quorum iudicium non esse omnino a ratione alienum, his rationibus persuaderi posset. Primũ Dialectica ex M. Tullio, diuiditur in iudicium & inuentionẽ,* In Top. *tanquam in duas partes: ergo etiam Rhetorica, quae est ei persimilis, his duabus partibus constare debebit. Confirmatur haec ratio: prius oportet inuenire, deinde quae inuẽta sunt iudicare: igitur iudicium & inuentio sunt duae facultates distinctę. Huc pertinet quod Cicero aliquãdo scripsit:* In Ora. *Nam inuenire & iudicare quid dicas, magna illa quidem sunt, & tãquam animi instar in corpore, sed propria magis prudentiae, quam elo-*

quentiae.

quentiæ: quæ tamen caussa, vacua prudentia est.

Deinde, nihil est summo Oratori ita necessarium, atque iudicium, quod nemo, nisi qui iudicio esset orbatus, negare auderet; cum non solum ea quæ inuenit, disponit, exornat, & dicit, iudicare, sed etiam, quid quantumq; pro locorum, temporum, personarumque ratione ei dicendum sit; videre ac statuere debeat, quod sine summo iudicio fieri non potest: non erit igitur hac facultate priuandus: cum, ni fallor, nullus sit artifex, qui tanta egeat prudentia, quanta Oratori est necessaria.

Ad hæc, si iudicium, cum sit omnino Oratori necessarium, non esset pars ab alijs distincta, Fabius *maxime ob eam caussam, vt non nulli dicunt,* Cypria. *quia cum ceteris partibus permiscetur: at hæc ratio non est firma, igitur. Nam, sicut oportet prius inuenire, & postea disponere; ita etiam post inuentionem oportet iudicare: inuentio igitur præcedit, & iudicium subsequitur: & cũ de eo dari certa præcepta possint; erit iudicandi facultas ab alijs partibus proculdubio distincta.*

Postremo, reperiuntur multi, qui facultate inueniendi plurimum valent; cum facile quæ de vnaquaque re proposita dici possint, excogitent, at vero in iudicando sunt tardi, & hebetes, & facile labuntur: igitur inueniendi & iudicandi facultates sunt inter se omnino diuersæ:

& quod

& quod de inuentione dixi, idem de elocutione & de alijs partibus dicas. His itaque & similibus rationibus sextam hanc partem rhetoricę addendam esse probari posset.

De opinionibus, quidam, vt Fabius scripsit, iudicium sextam eloquentiæ partem ab alijs omnino distinctam fecerunt; in quorũ numero fuit Hermagoras. Huic sententiæ sese Quinctilianus opposuit, quem omnes posteriores libenter secuti sunt, quorum opinio vt verissima, retinẽda est: a qua non fuit alienus M. Tullius, qui nunquam hanc partem ab alijs seiunctam numerauit, sed eam inuentioni subiecit. At vero Fabius tribus primis partibus permistam esse existimauit, quamuis etiam plurimum ex ea pronuntiationem mutuari putet. Quid autem de hac parte sentiendum sit nos quibusdam fundamentis & positionibus aperiemus. Lib 5. cap. 3. In parti.

Primum fundamentum, in quo de nomine & definitione iudicij breuiter agemus. Hæc dictio, iudicium, apud Iurisconsultos varias omnino atque inter se diuersas significationes habet, quas recensere nihil ad rem nostram attinet; eas qui cognoscere voluerit, eorum scripta consulat. Eas igitur attingemus, quæ ad propositam quæstionem explicandam proxime conferunt. Iudicium ergo apud dialecticos, sumitur pro ea dialecticæ parte, quæ ad argumenta inuenta iudicanda

dicanda regulas præbet: per quas quo modo vnum ex alio sequatur, & an excogitatum argumentum ad id, quod est probandum sit accommodatum, cognoscitur.

Boet. in Top.Ci.

Et quoniam id quod inuenitur ad rem dubiam probandam, nihil potest concludere, ni aliqua argumentatione proponatur, & in argumentatione duo spectari possint, res nimirum ipsæ, ex quibus conficitur, & forma, siue ratio concludendi vnum ex alio, sicuti in domo possunt spectari lapides, & lapidum ordo, atque constructio; ideo duplici opus est iudicio: altero, quo iudicemus de rebus ipsis, an sint necessariæ, an contingentes, an vero falsæ: altero vero, quo iudiciũ feramus de illa ratione & forma deducendi vnum ex alio. Tota ergo pars illa dialectices, quæ regulas ad hęc iudicia facienda, tradit Græce κριτικὴ, Latine, iudicatiua, appellatur.

Cic.li.2. de Ora.

Et quoniam iudicium de re composita fieri non potest, nisi per resolutionem, ideo Aristoteles duas suæ logicæ partes, in quibus regulas ad vtrunque iudicium recte faciendum dedit, analyticas, id est, resolutorias appellauit. Nanque in altera analysi rationem aperuit, qua de argumentationis forma iudicamus: in altera vero, qua de materia, & quidem de necessaria.

In Top.

De iudicio autem materiæ probabilis, & falsæ nihil speciatim dixit, quoniam, vt Boetius adnotauit, qui nouit iudicare necessaria & vera,

facile

facile etiam de probabilibus & falsis fert iudicium. Iudicium ergo hac significatione sumptum, nihil aliud est, quam facultas, discernendi, quo pacto vnum ex alio, vel ratione materiæ, vel formæ argumentando, bene, vel male, necessario, vel probabiliter colligatur. Si iudicium in hac sumatur significatione, potest esse dubitatio, an sit vna ex rhetoricæ partibus, quę rationem iudicandi de materia ac forma, ex quibus conficiuntur argumētationes rhetoricę, tradat: de qua re quid sit sentiendum, in positionibus dicemus. Deinde, iudicium sumitur pro actu quodam prudentiæ, quo de re aliqua iudicamus, non secundum eius principia resoluendo illam in suas caussas; sed potius ex ipsius circunstantijs, & fine, qui est veluti regula ac ratio humanarum actionum: ita vt illa res dicatur recte, vel non recte facta, necessaria, vel non necessaria, vtilis, vel infructuosa, quæ per media fini congruentia, vel dissentanea fit. Et quoniam pro diuersitate finium, diuersæ etiam sunt artes, ac etiam prudentiæ; ideo etiam de his, quæ in arte fiunt ad fines consequendos, diuersa sunt iudicia. Quo loco animaduertendum est, duplicem esse prudentiā: alteram morum, per quā quid recte rationi cōsentaneū sit, cognoscitur; qua qui vtitur, honeste agit, et nihil cōtra mores agit: altera vero est prudentia artis; qua Arist. li. 1. Ethic.

qui

qui vtitur, nihil peccat in arte, quã tractat: & ita alia est prudentia medici, alia, nautæ, alia aliorum artificum: quæ prudentia acquiritur per præcepta, & vsum artis, quam quisque tractat. Illa facit hominem simpliciter bonum; hęc vero bonum artificem. Is ergo, qui alicuius facultatis præcepta, atque vsum tenet, potest de his, quæ ad suam artem pertinent, artis finem spectando, recte sentẽtiam ferre, an sint ad finem consequendum accommodata; quæ sententia est iudicium quoddam. Vnde dubitari potest, an hæc facultas recte iudicandi, sit pars quædam eloquentiæ, sicuti & facultas recte inueniendi. Denique, iudicium interdum sumitur pro ipso actu iudicandi, vt cum dicimus aliquem esse parui iudicij, hoc est parum valere in iudicando: interdum vero pro ipsa re iudicata; vt cum dicimus nos approbare alterius iudicium, & iudicia recta non esse rescindenda. Atque hæc de nominibus iudicij: nunc de ipsius natura, quantum ad nostrum institutum pertinet, dicamus.

Secundum fundamentum: Quintilianus, cũ de inuentione scripsisset, ne omnino iudicium Cap. vlt. *prætermisisse videretur, libro sexto hæc de iudicio docet. Primum, ait esse omnibus partibus connexum; & a sententijs & verbis separari non posse. Deinde docet non magis artę tradi,*

tradi, quam gustum, aut odorem: quibus verbis significare videtur, totam iudicandi vim haberi a natura: cui eius Scholiastes subscribere non dubitauit. Deinde, assignat discrimen inter iudicium & consilium: iudicium rebus manifestis adhibetur; consilium vero dubijs: illud frequentissime certum est; hoc vero arte petitum, atque reconditum. Postremo, docet Oratori quædam consilio & iudicio esse cauenda, idque ex adiunctorum, consideratione: quam doctrinam, quibusdam exemplis illustrat. Nos autem hac de re ita sentimus. Iudicium, vt vere docuit diuus Thomas, nihil aliud est, quā quasi determinatio consilij: consilium autem est inquisitio quędam: siquidem qui consultat aliquid quærit. Verum, non est quæcunque inquisitio, sed inquisitio per ratiocinationem, vt Aristoteles scripsit, qua inquiritur, sit aliquid faciendum nec ne. Quo fit, vt non sit de quibuscunque rebus, sed de dubijs futuris, & quæ a nobis effici possint, & ad finem conferunt. Et cum sit de his, quæ ad vsum humanæ vitæ pertinent, non solum ij, qui scientiam, sed etiam qui experientiam tenent, consilio pollent. Ex his colligere licet, cōsilium esse quasi viam ad iudicium, quod nihil aliud est, quam determinatio quædam ac sententia consultationis: quæ interdum solet appellari consilium, sumendo consilium pro

Mosel. [illegible]

Prima par. qō. 83. ar. 3. ad 2.

Libro 3. Eth. cap. 3. & li. 6. cap. 5.

Arist. li. 3. polit. cap. 7.

re,

re, de qua consultatum est: quo modo non semel Fabius, loco supra citato, accepit. Ex his facile intelligeres iudicium non esse a natura, cum a doctrina, & ab experientia pendeat: nam, is recte indicat, qui rem aliquam nouit; rerum autem cognitio non habetur a natura. Intelligeres praeterea iudicium non esse solum de rebus manifestis, sed etiā de dubijs, & alias valde incertis. Vt, cum aliquid est faciendum, & plures nobis ad id exequendum sese offerunt viæ: tunc enim respiciendo finem, & quæ rem circunstant, consultamus, vt iudicium feramus de eo, quod magis expedit. Concedimus tamen iudicium esse posse ijs de rebus, de quibus non est consilium: & ita per gustum iudicamus an aliquid sit dulce, vel amarum. Est autem iudicium duplex: alterum speculatiuum de rebus, quę sola cognitione attinguntur, quod perficitur per scientias speculatiuas: alterum practicum, de rebus, quæ aguntur, quod perficitur per prudentiam & artem, & præcipue per experientiam. Concludamus ergo iudicium esse duplex, alterum naturale, alterum acquisitum: et vtrūque, vel in sensu, vel in intellectu reperiri, & quod est in intellectu, vel esse speculatiuum, vel practicum. Quod autem postremo loco Quinctilianus ait, Oratorem maxime indigere iudicio, vel, vt ipse loquitur, consilio, verissimum

Arist. li. 1. Ethic. cap. 2.

est:

est: ita vt nulla sit scientia, nulla ars, ni fallor, quæ tanto indigeat iudicio atque facultas oratoria, idque multis de caussis. Primum, quoniam cũ Orator profiteatur se posse de vnaquaque re proposita apte, atque idonee dicere ad docendum, delectandum, atque mouendum, ac proinde omnium artiũ cognitione debeat esse instructus, profecto in eo omnium artium prudentia, atque iudicium reperiri debet. Deinde, cum eius ars proxime conficiatur ex quinque quasi magnis artibus, scilicet ex inuẽtione, dispositione, elocutione, memoria, & pronũtiatione, quarum vnaquæque quantũ iudicij requirat, satis ex ijs, quæ de singulis diximus, constare arbitror, maximo indigebit iudicio. In singulis enim partibus multa sunt, quæ summũ iudicium requirunt, cum varijs sit opus inuentionibus, dispositionibus atque elocutionibus: & multa sint inuenienda, disponenda, & exornanda: vt patet in vna etiam minima orationis parte tractanda, vt est exordium; quod est omnino varium, & multiplex. Denique, summo indiget Orator consilio, atque iudicio ob varietatem locorum in quibus ei agendum est, in senatu, in foro, in concione: & personarum apud quas dicere debet, vt apud Senatores, iudices, & populum: & temporum, ceterorumque adiunctorum. Huc pertinet singularis M. Tullij locus

V in

in oratione pro Sextio. Non sum tam ignarus, iudices, caussarum, non tam insolens in dicendo, vt omni ex genere orationem aucuper, & omnes vndique flosculos carpam, atque delibem: scio quid grauitas vestra, quid illi conuentus, quid dignitas P. Sextij, quid periculi magnitudo, quid ætas, quid honos meus postulet.

Tertium fundamentum: M. Tullij interpretes sunt inter se discordes in explicanda eius sententia, de iudicio; an posuerit tanquam partem distinctam ab inuentione, ob ea quæ initio suæ Topices scripsit, vbi iudicium ab inuentione discreuit. Et cum dicat inuentionem esse priorem iudicio, solent etiam quærere, quonam modo sit prior. Aliqui dicunt inuentionem esse priorem iudicio, natura; eo modo, quo caussa est prior effectu: alij etiam tempore, ita vt prius res inueniantur, postea iudicentur: alij duplicem faciunt inuentionem, alteram informem cum res inueniuntur, & non iudicantur: alteram formatam, cum adhibetur iudicium. Nos autem quid de hoc Ciceronis loco sentiendum sit, in ipsis positionibus aperiemus. His itaque positis fundamentis, has statuo positiones.

Prima positio: Iudicium, vt ad rem nostram pertinet, potest hunc in modum definiri: Est sententia per ratiocinationem tacitam,

vel

vel expressam, de iis rebus, quæ ad persuadendum conferunt. Dicimus esse tacitam, vel expressam ratiocinationem, quia non semper intercedit ratiocinatio, maxime in rebus manifestis.

Secunda positio: Iudicium, si proprie loqui velimus, non est idem quod consilium: sed consilium est veluti via, iudicium, quasi terminus. confunduntur tamen sæpe hæ duæ voces, dum vna pro alia sumitur.

Tertia positio: Falsum est iudicium esse solum de rebus manifestis. Quoniam, cum iudicium sit sententia, quæ sæpe ratiocinatione inuestigatur, tunc profecto non erit de rebus manifestis.

Quarta positio: Iudicium est magis necessarium Oratori, quam vlli alteri artifici. Patet hæc positio ex iis, quæ supra adnotauimus. Siquidem nullus est artifex, qui de pluribus, magis diuersis, maioribus, atque iudicatu difficilioribus rebus agat, quam orator: quod qui non fateretur, is quænam essent oratoris partes, quæ munera, & quam personam sustineret, profecto ignoraret. Et hanc vnam ob caussam existimo probatos Oratores raros esse, quod pauci sint, qui eo sint iudicio præditi, quod ars oratoria requirit.

Quincta positio: Iudicium cum in omni arte, tum in arte oratoria est maxime difficile. Primum, ob rerum multitudinem, ac varietatem de quibus Orator iudicare debet. Deinde, ob conditionem earum rerum, de quibus est iudicandum; quæ sunt incertæ, & mutationi obnoxiæ, vt sunt humani actus, in quibus potissimum versatur. Postremo, quoniam non modo artibus fere omnibus, sed etiam varia ac longa experientia acquirendum est.

Arist. li. 1. Ethic.

Sexta positio: Si iudicium sumatur eo modo, quo accipi solet a dialecticis, pro ea parte, qua de argumentorum formis, & propositionum connexione atque consecutione agitur; non est ita necessarium rhetori, vt priuata quadam ratione ab eo tractari debeat. Quoniam Oratori satis est illa facultas naturalis, quam homines sine vlla maiori arte argumentationes conficere solent; cum potissimum vtatur enthymemate, & exemplo, versetur que circa persuasibilia, quæ non egent illa accurata iudicãdi arte, qua egẽt necessaria, siue scientiæ, quæ de rerum obscuris naturis agunt. Adde etiam, quod aliter Oratores suas argumentationes instruere solent, quam dialectici faciunt: de qua re non nihil præcipiunt, cum de dispositione scribunt. Itaque, eo indiget

Orator

Orator iudicio, quo de rebus & verbis inueniendis, diſponendis, exornandis, & pronuntiandis, vt ad perſuadendum conferunt, ſententiam ferat.

Septima poſitio: Iudicium, quo Orator pollere debet, non eſt a natura, ſed doctrina, exercitatione, atque experientia acquiritur. Is enim ſolus poterit, de rebus huic arti ſubiectis iudicium ferre, qui artem exercitatam, & experientia confirmatam tenuerit: vt in quauis arte patet.

Octaua poſitio: Nihil eſt neceſſe, vt iudicium ponatur tanquam pars diſtincta ab alijs eloquentiæ partibus. Primum, patet ex communiore meliorum ſcriptorum ſententia: ita enim ſentit Quinctilianus, quem omnes poſteriores ſecuti ſunt: nec Cicero ab hac opinione fuit alienus, cum nullibi iudicium, quod tamen requirit ſummum in Oratore, dum de partibus rhetoricæ agit, diſtincte numerauerit. Deinde, cum in ſingulis partibus adhibendum ſit, quod prudens negabit nemo: nihil eſt neceſſe, vt ab illis ſecernatur: præſertim, cum iudicandi facultas ab ijs præceptis pendeat, quæ de ſingulis partibus dantur, & a finis conſideratione, ex qua omnis iudicandi ratio petenda eſt. Adde etiam, quod nihil poteſt dici proprie inuentum, aut diſpo- Cypria. lib. 1.

situm, exornatumque, nisi adhibitum fuerit iudicium, quo examinantur omnia, quæ ad finem consequendum faciunt. Neque enim inuentio oratoria est quorumcunque rerum indagatio, sed earum, quæ ad persuadendum sunt accommodatæ: cuiusmodi non erunt, nisi cum iudicio fuerint inuentæ. Quare, non diceretur is vere inuenisse, qui leuia, vulgaria, pugnantia, & ad rem minime accommodata, & quæ vitasse necesse erat, inuenisset; vt copiose & docte scripsit M. Tullius: vt si quis quærens aurum, inuenisset scorpionem. Et quod de inuentione diximus, idem de alijs partibus dicas.

Libro 2. de Ora. In Ora.

Nona positio: Iudicium est permistum omnibus eloquentiæ partibus; quamuis vna pars magis eo indigeat, quam alia. Sententia est Quinctiliani, a qua, vt censeo, non fuit alienus Cicero: cum auctoritas illa, quæ est in Topicis nihil obstet, vt statim dicam. Est itaque iudicium veluti succus, & sanguis per omnes eloquentiæ partes fusus.

Decima positio: Si iudicium consideretur, vt est sententia de re aliqua, interdum potest esse simul tempore cum re illa; interdum vero posterius. Potest enim aliquis prius inuenire, & postea iudicare, aut certe, eodem temporis articulo de re inuenta ferre iudicium.

Vnde-

Vndecima positio: Ordo non est ponendus pro sexta eloquentiæ parte. Neque enim ordo censendus est distinctus ab ipsa dispositione, de qua supra egimus; vt recte adnotauit Quinctilianus. His ita positis ac confirmatis positionibus argumenta contraria refellamus. Lib. 3. cap. 3.

Ad primum, non me latet quantas hic Ciceronis locus excitauerit tragœdias, quem hunc in modum breuiter explano. Primum dicerem non esse intelligendum de iudicio oratorio, sed de dialectico; de eo nimirum, de quo Stoici, relicta inuentione, agebant: vt explicui in primo fundamento: Non agit itaque ibi M. Tullius de numero partium eloquentiæ, sed dialecticam in duas distribuit partes, vt faciebant Stoici. Adde etiam, quod ex verbis Ciceronis non potest quispiam euidenter concludere iudicium esse ab inuentione distinctum: ait enim subiici inuentioni, hoc est, sub inuentione contineri; non autem post iudicium poni. Et denique, quidquid sit de eo, quod in argumento illo sumitur, quod tamen multi negarent, nimirum dialecticam diuidi in iudicium & inuentionem, negatur consecutio: & cur negetur, ex iam dictis patet: confirmatio ex ijs quæ diximus, facile infirmatur. Auctoritas vero, quæ ex Cicerone citatur, confirmat quinctam positionem. Anton. Piu.

Secundum argumentum eandem positionem confirmat; ideo nihil est, cur solui debeat.

Tertium vero qua ratione diluendum sit, satis constat ex decima positione: neque enim ex eo, quod Orator prius inuenit, & postea iudicat, sequitur iudicium esse partem eloquentiæ distinctam, vt explicatum est.

Ad quartum, concedimus multos posse inuenire multa quadam naturæ perspicacitate & acumine: tamen, nemo quæ sint apta ad dicendum inueniet, ni iudicio polleat; quod, vt docuimus, in eo erit perfectum, qui vniuersam artem, addito vsu & experientia, probe tenuerit. Sed iam sit huic quæstioni finis.

Quænam ex quinque rhetoricæ partibus sit dignior, ac præstantior, Disputatio IX.

DOCVIMVS *eloquentiam quasdam habere partes: quæ & quot sint demonstrauimus, singulasq; explicuimus: restat, vt eas inter se conferamus, & suo quamque loco collocemus: quibus expositis erit huic libro finis. Quod autem ad propositam difficultatem attinet, quasdam rationes in medium afferam, quibus singulas partes, singulis præ-*

stantiores

ſtantiores eſſe demonſtrabo. Et quod inuentiò omnes alias dignitate antecedat, hiſce rationibus perſuaderi poteſt.

Primò, ex Ariſtotelis ſententia, qui definiens rhetoricam dixit eſſe vim videndi, ſeu inueniendi: & propterea hanc potiſſimum partem tanquam præcipuam, vnde ſumuntur orationis nerui, diligenter proſequutus eſt. Huc pertinet auctoritas quædam M. Tullij, quæ ita habet: Quare inuentio, quæ eſt princeps omnium partium, potiſſimum in omnium cauſſarum genere, qualis debeat eſſe conſideretur. Deinde, illa pars putanda eſt præſtantior, quæ eſt initium, fons, atque origo cęterarum partium; vt patet de corde in corpore animalis: at huiuſmodi eſt inuentio comparata cęteris partibus, quod prudens negaret nemo, igitur.

Libro 1. rhe. c. 2.

Lib. 1. de Inuen.

Poſtremo, Inuentio eſt longe difficilior omnibus alijs partibus, quod ex eo fit perſpicuum, quia plura de ea quam de alijs ſcribuntur: quo fit, vt debeat etiam eſſe præſtantior: cum quæ ſunt præſtantiora, ſint abſtruſiora & inuentu difficiliora: vt de auro, & alijs mineralibus patet.

Diſpoſitionem eſſe potiorem, his rationibus demonſtro. Primum, diſpoſitio conſiſtit in quodam rerum ordine: atqui ordo, vt Ariſtoteles

Lib. in Met.

ſtoteles docet, eſt quid præſtantiſſimum: igitur diſpoſitio erit omnium aliarum partium dignißima. Deinde, illa facultas cenſetur præſtantior, cuius actus & operatio eſt præſtantior: at ordinare eſt actus longe præſtantior, quam vel inuenire, vel exornare, aut agere, cum ſit ſapientis proprium, vt ſapientium facile princeps docuit Ariſtoteles, igitur. Adde vltimo; diſpoſitio eſt veluti forma inuentionis, & elocutionis, quæ in rerum, & verborum concinna aptaq; collocatione poſita eſt; igitur erit his duabus partibus perfectior, & dignior: & conſequenter etiam alijs, quæ ſunt illis duabus ſine dubio inferiores.

Li.1. Metaph.ca pit.2.

Quod autem elocutio omnes alias antecellat, facile probares. Primo, ab hac parte ipſa ars, eloquentia, & artifex, eloquens nominatur, & a cęteris artibus diſtinguitur: erit igitur alijs partibus præſtantior: Huc facit hæc luculenta M. Tullij ſententia: ſed iam illius perfecti oratoris, & ſummæ eloquentiæ ſpecies exprimenda eſt; quem hoc vno excellere, id eſt oratione, cętera in eo latere, indicat nomen ipſum. Non enim inuentor, aut compoſitor, aut actor hæc complexus eſt omnia: ſed & græce ab eloquendo ῥήτωρ, & latine, eloquens, dictus eſt. Cęterarum enim

In orat.

rerum

verum quæ sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vendicat: dicendi autem, id est eloquendi maxima vis soli huic conceditur. Postea, natura rhetoricæ in hoc sita est, vt sit ars bene dicendi, ergo tota eius vis in eloquendo posita erit: quæ ratio ex eo confirmari potest quod hæc sola pars illustrat, conformat, pingit, & illuminat orationem, ornamentis, figuris, flosculis, coloribusq; oratorijs; quo fit, vt solus sermo oratorius, orationis nomen mereatur. Denique, quoniam hæc sola pars facit oratorem admirabilem, & commendabilem, vt non vno in loco scripsit summus inter latinos orator. Cice. in Orat. In Bru.

Memoriam principem obtinere locum; hæ rationes persuaderent. In primis, quod est totius artis fundamentum, id debet esse in arte præcipuum, vt in omni ædificio patet: atqui ex Tullio libro de optimo genere oratorum, ita se habet memoria comparata ad alias rhetoricæ partes; igitur. Deinde, memoria omnes alias partes continet, atque conseruat; vt idem auctor scribit: at quod habet vim continendi, atque conseruandi alia, est ijs quæ conseruat, & continet longe nobilius: igitur. Denique, memoria comparatur thesauro, quo nihil potest esse præstantius: & ideo cum quippiam commendare volumus Li. 1. de Orat.

lumus thesauro simile esse dicimus: memoriæ igitur, veluti quidam thesaurus, dignissima iudicetur.

Quod autem actio primum locum obtineat, Cice. in Orat. *primo probatur Demosthenis auctoritate, qui primas, secundas, & tertias actioni tribuit, cum de hac quæstione fuit interrogatus: ac si dixisset, totam eloquentiæ vim in actione* Libro 3. de orat. *positam esse: Huc facit, quod Cicero dixit, actionem in caussis dominari. Postea, etiam si quis optime omnes alias partes teneat, sed, vel caussas non agat, vel inepte agat; is, vel excludetur omnino ab oratorum numero, vel certe inter minus probatos reijcietur: quare sola actio est, quæ plenum, ac perfectum oratorem efficit. Postremo, actio est veluti vita, & spiritus orationis, quæ sine congruenti gestu & pronunciatione, languida exanimata, & mortua videtur: ergo erit omnium aliarum partium præstantissima, cum illis vitam tribuat.*

In hac disputatione non sunt aliquæ expressæ auctorum sententiæ: & nemo, quod sciam ex professo hanc quæstionem examinauit. Verum tamen est, quod Aristoteles primum locum Inuentioni, M. Tullius elocutioni, Demosthenes vero actioni dare videtur. Nos quid in hac disputatione sentiendum sit quibusdam

dam fundamentis positis, non nullis positionibus aperiemus.

Primum fundamentum: cum aliqua res pluribus constat partibus, quæ, vel à natura, vel ab arte institutæ sunt, necessario partes illæ debent esse inter se diuersæ; & cum ad vnum aliquem finem conferant, inter se comparari poterunt.

Secundum fundamentum: has eloquentiæ partes varijs inter se modis conferre licet, nimirum, ratione necessitatis, quærendo, quænam sit magis ad eloquentiam conficiendam necessaria: ratione vtilitatis, quærendo quæ magis ad persuadendum conferat: ratione difficultatis, inuestigando, quæ sit difficilior: & denique, quæ sit magis huic arti propria, magisq; eam conseruet, & alias antecellat.

Tertium fundamentum: cum vna res cum altera comparatur, duobus modis dici potest præstantior, vel ignobilior illa: vno modo simpliciter, & absolute: altero vero aliqua ex parte, & vt dialectici loquuntur, secundum quid. Vt si conferres arma cum literis, si simpliciter loqui velimus, erit verum pronuntiatum illud, Cedant arma togæ; at vero ex aliqua parte, arma præstabunt literis.

Quartum fundamentum: harum quinque

eloquen-

eloquentiæ partium , aliæ pertinent ad ipsam orationem conficiendam , vt sunt tres priores: aliæ vero ad eius vsum. Est enim oratio veluti quoddam oratoris instrumentum , quo ad persuadendum vtitur : ad cuius vsum, memoria, & actio proxime conferunt. His ita notatis statuo has positiones.

Prima positio: ex partibus eloquentię, vna est præstantior alijs. Est doctrina certissima quæ nulla probatione eget.

Secunda positio: Quod attinet ad necessitatem, omnes sunt necessariæ ad ipsum, vt ita dixerim, eloquentia corpus conficiendum; vt si vna dematur, totum corpus labi necesse sit; quamuis necessitatis ratio magis in vna, quam in alia appareat.

Tertia positio: simpliciter loquendo, inuentio est præcipua, eloquentiæ pars. Huic nostræ sententiæ primum fauere videtur grauissima Aristotelis sententia, qui Dialecticam, & Rhetoricam inueniendarum rationum facultates esse, affirmauit, & in inuentione Rhetorica explicanda, potissimum laborauit. Deinde, quia ipsa est fons, & origo omnium aliarum partium; nam si res cum iudicio inuentæ sint, facile disponuntur; & verborum copia atque ornamenta sua sponte res ipsas inuentas sequuntur; vt Cicero, non vno in loco docuit;

Li. 1. rhetor. c. 2.

& Horatius hoc carmine confirmauit. In poet.

Verbaque prouisam rem non inuita sequentur.

Postea, ex parte finis; quoniam persuasio, sua natura, solis rebus & rationibus fit, vt docte docuit Aristoteles; non collocatione, non elocutione, non memoria, quæ omnia ex quadam auditorum prauitate ad persuadendum conferunt. Adde tertiam rationem ex difficultate sumptam; quia longe difficilius est inuenire, quid dicendum sit in quauis quæstione proposita, quod nemo præstare potest, nisi qui sit multarum rerum cognitione peritus; quam, vel disponere, vel ornare, vel memoriæ tradere, atque pronunciare. Huc facit, quod quæ inuenire oportet, sunt varia, atq; omnino diuersa; at collocandi, & exornandi ratio, non est ita varia. Denique, si vlla pars antecelleret inuentionem, certe elocutio: at elocutio sine rerum inuentione, est inanis, puerilis, & omnino vana. Quare, cum, vt Cicero ait, sine sententijs dicere sit insania, ex eodem concludere licebit, omnium eloquentiæ partium principem esse inuentionem. Li. 3. rhet. c. 1. Trap. libro 5. In orat. L. 1. de Inuen.

Quarta positio: Elocutio præstat cæteris eloquentiæ partibus in hoc, quod sit ei maximæ propria. Hanc doctrinam confirmant illæ tres rationes, quas supra attulimus ad demonstran- Trapez. lib. 5.

monstrandum hanc partem, alias antecellere. Est enim elocutio, quasi forma quędam eloquentiæ, per quam oratio habet, vt a quouis alio sermone distinguatur. Adde etiam, quod omnes aliæ partes aliqua ratio-
Libro 1. de Ora. *ne sunt alijs artibus communes: at quod est apte & copiose dicere solius est oratoris. Hoc enim ait Crassus; est proprium oratoris, oratio grauis & ornata, & hominum sensi-*
Libro 2. de Ora. *bus, ac mentibus accommodata. Et Antonius; Sed quod cuiusque sit proprium, & si ex eo iudicari potest, cùm videris, quid quæque doceat: tamen, hoc certius nihil esse potest, quam quod omnes artes aliæ sine eloquentia suum munus præstare non possunt; Orator sine eá nomen suum obtinere non potest: vt cęteri si diserti sint, aliquid ab hoc habeant; hic nisi domesticis se instruxerit copijs, aliunde dicendi copiam petere non pos-*
Arist. in poet. Et lib. 3. Rhet. *sit. Quod si dicas, elocutionem esse etiam communem poeticæ, id nihil est; quoniam maxime inter se distant hæc duo elocutionum genera. Denique, elocutio tota fere ex arte ipsa petitur: aliæ vero partes, ab ipsa etiam natura aliqua ratione pendent: vna tamen excepta dispositione.*

Quincta positio: Dispositio in eo cęteris partibus præstat, quod aliæ interdum natu-

ræ bo-

ræ bonitate in nobis esse possunt: at vero recte disponendi facultas a sola arte, & prudentia, iudicioque proficiscitur: Adde etiam quod priuata quadam ratione alias partes iuuat, cum inuentioni formam, elocutioni lucem, memoriæ facilitatem, & actioni modum præbeant.

Sexta positio: Memoria, in eo alias partes antecellit, quod eas conseruet, custodiat, contineat, & sit veluti earum fundamentum. Hanc positionem confirmant rationes superius pro hac parte allatæ. Quare, nisi inuentis, excogitatisque rebus & verbis, memoria custos adhibeatur, omnia, etiam si præclarissima in oratore fuerint, facile euanescent. Libro 1. de Ora.

Septima positio: Pronuntiatio præstat alijs partibus in hoc, quod per eam cæteræ partes apparent, & in lucem veniunt, & oratorem plenum atque perfectum, ab ijs discernit, qui solum orationes scribunt: cum ante pronuntiationem Orator, sit tantum potestate, Orator. Et hoc fortasse voluit M. Tullius, cum actionem quasi eloquentiæ lumen appellauit. Huc etiam facit, quod quodammodo vitam ac spiritum orationi tribuit: cum sine actione oratio sit occulta, & sopi- Lib. de perf. ge. orat.

ta, & nullo suo fungatur munere: neque enim oratio animo inclusa delectat, aut mouet.

Octaua positio: post elocutionem, actio est maxime propria Oratori. Hoc non obscure significauit M. Tullius, cum eam quasi quandam corporis eloquentiam esse affirmauit. Atque de hac disputatione satis: neque enim rationes initio allatæ soluendæ sunt, cum ea, quæ posuimus confirment.

Quo ordine Rhetoricæ partes collocandæ sint, Disputatio X.

Libro 1. de Orat.

EXTREMA *nobis restat huius libri disputatio, in qua de ordine partium eloquentiæ breuiter agendum est; cum hac de re dicendi magistri aliquando mentionem fecerint. Et ne frustra suscepta esse videatur, rationibus quibusdam demonstrabo male a Scriptoribus eo ordine collocari, quo fere ab omnibus collocari solent.*

Primum, statim post inuentionem opus est memoria, qua quæ inuenta sunt conseruentur: quia, si effluerent, disponi, & exornari non possent: male igitur in quarto reponitur loco.

Cap. 1. *Deinde, Aristoteles, quem nemo vnquam*

in rebus

in rebus collocandis superauit, prius egit de actione, quam de elocutione, vt patet ex libro tertio suæ rhetorices; vbi non nulla de actione docet, & postea latius de elocutione scribit, igitur: Adde etiam quod postremo loco agit de dispositione.

Postea, quæ de pronuntiatione & actione traduntur præcepta, debent memoriæ mandari: igitur memoria erit postremo loco ponenda, cum sint omnium partium custos.

Denique, partes collocandæ sunt iuxta ordinem dignitatis: at si hunc ordinem spectemus, alia profecto ratione, vt ex proxima disputatione apparet, collocandæ erunt; igitur.

Quod ad opiniones attinet, quidam, vt Fabius refert, ob primam rationem a nobis allatam, existimarunt memoriam secundo loco ponendam esse. Et alij fortasse ob secundam dicerent ei quinctam deberi sedem: quibus fauere posset M. Tullij auctoritas in partitionibus, vbi eam in postremo loco posuit: nam cum omnes numerasset partes, dixit, earum omnium custos est memoria: At vero communis Scriptorum opinio ei quartum tribuit locum. Libro 1. cap.

Vt huic dubitationi breuiter satisfaciamus,

primum notandum est, quattuor modis vnam rem posse esse priorem, vel posteriorem alijs, quos supra in quarta disputatione explicuimus, scilicet natura, quo modo caussa est prior suo effectu: tempore, vt elapsa hora, hac presenti: ordine, seu collocatione, quo pacto vnus numerus est prior alio: & perfectione, seu dignitate, qua ratione Imperator est prior milite. In presentia est precipua dubitatio de primo modo.

Notandum deinde est duplicem esse memoriam, alteram naturalem, alteram vsu & arte acquisitam; quæ vt supra docuimus oratori apte, copioseque dicere volenti, est maxime necessaria: ac proinde in partibus eloquentiæ numeratur. Artificiosa autem, ac perfecta memoria indiget Orator potissimum ad res inuentas, distributas, & exornatas, & integra oratione comprehensas, perdiscendas: quæ, & si ea etiam complectitur, quæ de pronuntiatione traduntur præcepta; tamen ista quauis etiam mediocri memoria continere posset. Ex quibus intelligi licet, memorandi facultatem ipsam præcedere actionem, atque eam conseruare prout agendi præcepta memoria continentur. His notatis, per has positiones propositæ difficultati satisfacio.

Prima

Prima positio: Inter partes eloquentiæ aliquis constituendus est ordo. Nam, vbi multa in vnum conueniunt, si illa inter se perfectione, & dignitate differant, ibi necessario aliquis adhibendus est ordo, vt omnis tollatur confusio, quæ a quacunque arte remouenda est.

Secunda positio: Si spectemus ordinem naturæ, eloquentiæ partes sunt ita constituendæ, vt primo loco sit inuentio, secundo dispositio, tertio elocutio, quarto memoria, quincto pronuntiatio. Quoniam, ita hæ partes sunt inter se affectæ, vt inuentio non pendeat ab alijs, & dispositio pendeat ab inuentione, non autem ab elocutione, quæ non potest esse absque inuentione, & collocatione: memoria autem orationem iam factam supponit, & actionem antecedit, cum id pronuntiatione exprimamus, quod memoria comprehensum fuit.

Tertia positio: Si spectemus ordinem perfectionis, qua ratione hæ partes collocari debeant, ex proxima disputatione patet: vbi de harum partium dignitate diximus: propterea nihil est, cur hanc positionem pluribus confirmemus, aut explicemus.

Quarta positio: Si spectemus temporis ordinem,

Secundum argumentum eandem positionem confirmat; ideo nihil est, cur solui debeat.

Tertium vero qua ratione diluendum sit, satis constat ex decima positione: neque enim ex eo, quod Orator prius inuenit, & postea iudicat, sequitur iudicium esse partem eloquentiæ distinctam, vt explicatum est.

Ad quartum, concedimus multos posse inuenire multa quadam naturæ perspicacitate & acumine: tamen, nemo quæ sint apta ad dicendum inueniet, ni iudicio polleat; quod, vt docuimus, in eo erit perfectum, qui vniuersam artem, addito vsu & experientia, probe tenuerit. Sed iam sit huic quæstioni finis.

Quænam ex quinque rhetoricæ partibus sit dignior, ac præstantior, Disputatio IX.

DOCVIMVS *eloquentiam quasdam habere partes: quæ & quot sint demonstrauimus, singulasq; explicuimus: restat, vt eas inter se conferamus, & suo quamque loco collocemus: quibus expositis erit huic libro finis. Quod autem ad propositam difficultatem attinet, quasdam rationes in medium afferam, quibus singulas partes, singulis præ-*

stantiores

ſtantiores eſſe demonſtrabo. Et quod inuentio omnes alias dignitate antecedat, hiſce rationibus perſuaderi poteſt.

Primo, ex Ariſtotelis ſententia, qui definiens rhetoricam dixit eſſe vim videndi, ſeu inueniendi: & propterea hanc potiſſimum partem tanquam præcipuam, vnde ſumuntur orationis nerui, diligenter proſequutus eſt. Huc pertinet auctoritas quædam M. Tullij, quæ ita habet: Quare inuentio, quæ eſt princeps omnium partium, potiſſimum in omnium cauſſarum genere, qualis debeat eſſe conſideretur. Deinde, illa pars putanda eſt præſtantior, quæ eſt initium, fons, atque origo cęterarum partium; vt patet de corde in corpore animalis: at huiuſmodi eſt inuentio comparata cęteris partibus, quod prudens negaret nemo, igitur. Libro 1. rhe. c.2. Lib.1. de Inuen.

Poſtremo, Inuentio eſt longe difficilior omnibus alijs partibus, quod ex eo fit perſpicuum, quia plura de ea quam de alijs ſcribuntur: quo fit, vt debeat etiam eſſe præſtantior: cum quæ ſunt præſtantiora, ſint abſtruſiora & inuentu difficiliora: vt de auro, & alijs mineralibus patet.

Diſpoſitionem eſſe potiorem, his rationibus demonſtro. Primum, diſpoſitio conſiſtit in quodam rerum ordine: atqui ordo, vt Ariſteles Lib. in Met.

ſtoteles docet, eſt quid præſtantiſſimum: igitur diſpoſitio erit omnium aliarum partium dignisſima. Deinde, illa facultas cenſetur præſtantior, cuius actus & operatio eſt præſtantior: at ordinare eſt actus longe præſtantior, quam vel inuenire, vel exornare, aut agere, cum ſit ſapientis proprium, vt ſapientium facile princeps docuit Ariſtoteles, igitur. Adde vltimo; diſpoſitio eſt veluti forma inuentionis, & elocutionis, quæ in rerum, & verborum concinna aptaq; collocatione poſita eſt; igitur erit his duabus partibus perfectior, & dignior: & conſequenter etiam alijs, quæ ſunt illis duabus ſine dubio inferiores.

Li. 1. Metaph. cap. 2.

Quod autem elocutio omnes alias antecellat, facile probares. Primo, ab hac parte ipſa ars, eloquentia, & artifex, eloquens nominatur, & a cęteris artibus diſtinguitur: erit igitur alijs partibus præſtantior. Huc facit hæc luculenta M. Tullij ſententia: ſed iam illius perfecti oratoris, & ſummæ eloquentiæ ſpecies exprimenda eſt; quem hoc vno excellere, id eſt oratione, cętera in eo latere, indicat nomen ipſum. Non enim inuentor, aut compoſitor, aut actor hæc complexus eſt omnia: ſed & græce ab eloquendo ῥήτωρ, & latine, eloquens, dictus eſt. Cęterarum enim

In orat.

rerum

rerum quæ sunt in oratore, partem aliquam sibi quisque vendicat: dicendi autem, id est eloquendi maxima vis soli huic conceditur. Postea, natura rhetoricæ in hoc sita est, vt sit ars bene dicendi, ergo tota eius vis in eloquendo posita erit: quæ ratio ex eo confirmari potest quod hæc sola pars illustrat, conformat, pingit, & illuminat orationem, ornamentis, figuris, flosculis, coloribusq; oratorijs; quo fit, vt solus sermo oratorius, orationis nomen mereatur. Denique, quoniam hæc sola pars facit oratorem admirabilem, & commendabilem, vt non vno in loco scripsit summus inter latinos orator. Cice. in Orat. In Bru.

Memoriam principem obtinere locum; hæ rationes persuaderent. In primis, quod est totius artis fundamentum, id debet esse in arte præcipuum, vt in omni ædificio patet: atqui ex Tullio libro de optimo genere oratorum, ita se habet memoria comparata ad alias rhetoricæ partes; igitur. Deinde, memoria omnes alias partes continet, atque conseruat; vt idem auctor scribit: at quod habet vim continendi, atque conseruandi alia, est ijs quæ conseruat, & continet longe nobilius: igitur. Denique, memoria comparatur thesauro, quo nihil potest esse præstantius: & ideo cum quippiam commendare volumus Li. 1. de Orat.

lumus

lumus thesauro simile esse dicimus: memoriæ igitur, veluti quidam thesaurus, dignissima iudicetur.

Quod autem actio primum locum obtineat; primo probatur Demosthenis auctoritate, qui primas, secundas, & tertias actioni tribuit, cum de hac quæstione fuit interrogatus: ac si dixisset, totam eloquentiæ vim in actione positam esse: Huc facit, quod Cicero dixit, actionem in caussis dominari. Postea, etiam si quis optime omnes alias partes teneat, sed, vel caussas non agat, vel inepte agat; is, vel excludetur omnino ab oratorum numero, vel certe inter minus probatos reijcietur: quare sola actio est, quæ plenum, ac perfectum oratorem efficit. Postremo, actio est veluti vita, & spiritus orationis, quæ sine congruenti gestu & pronunciatione, languida exanimata, & mortua videtur: ergo erit omnium aliarum partium præstantissima, cum illis vitam tribuat.

Cicc. in Orat.

Libro 3. de orat.

In hac disputatione non sunt aliquæ expressæ auctorum sententiæ: & nemo, quod sciam ex professo hanc quæstionem examinauit. Verum tamen est, quod Aristoteles primum locum Inuentioni, M. Tullius elocutioni, Demosthenes vero actioni dare videtur. Nos quid in hac disputatione sentiendum sit quibus-

dam

dam fundamentis positis, non nullis positionibus aperiemus.

Primum fundamentum: cum aliqua res pluribus constat partibus, quæ, vel a natura, vel ab arte institutæ sunt, necessario partes illæ debent esse inter se diuersæ; & cum ad vnum aliquem finem conferant, inter se comparari poterunt.

Secundum fundamentum: has eloquentiæ partes varijs inter se modis conferre licet, nimirum, ratione necessitatis, quærendo, quęnam sit magis ad eloquentiam conficiendam necessaria: ratione vtilitatis, quærendo quæ magis ad persuadendum conferat: ratione difficultatis, inuestigando, quæ sit difficilior: & denique, quæ sit magis huic arti propria, magisq; eam conseruet, & alias antecellat.

Tertium fundamentum: cum vna res cum altera comparatur, duobus modis dici potest præstantior, vel ignobilior illa: vno modo simpliciter, & absolute: altero vero aliqua ex parte, & vt dialectici loquuntur, secundum quid. Vt si conferres arma cum literis, si simpliciter loqui velimus, erit verum pronuntiatum illud, Cedant arma togæ; at vero ex aliqua parte, arma præstabunt literis.

Quartum fundamentum: harum quinque eloquen-

eloquentiæ partium, aliæ pertinent ad ipsam orationem conficiendam, vt sunt tres priores: aliæ vero ad eius vsum. Est enim oratio veluti quoddam oratoris instrumentum, quo ad persuadendum vtitur: ad cuius vsum, memoria, & actio proxime conferunt. His ita notatis statuo has positiones.

Prima positio: ex partibus eloquentiæ, vna est præstantior alijs. Est doctrina certissima quæ nulla probatione eget.

Secunda positio: Quod attinet ad necessitatem, omnes sunt necessariæ ad ipsum, vt ita dixerim, eloquentia corpus conficiendum; vt si vna dematur, totum corpus labi necesse sit: quamuis necessitatis ratio magis in vna, quam in alia appareat.

Tertia positio: simpliciter loquendo, inuentio est præcipua, eloquentiæ pars. Huic nostræ sententiæ primum fauere videtur grauissima Aristotelis sententia, qui Dialecticam, & Rhetoricam inueniendarum rationum facultates esse, affirmauit, & in inuentione Rhetorica explicanda, potissimum laborauit. Deinde, quia ipsa est fons, & origo omnium aliarum partium; nam si res cum iudicio inuentæ sint, facile disponuntur; & verborum copia atque ornamenta sua sponte res ipsas inuentas sequuntur; vt Cicero, non vno in loco docuit;

Li. 1. rhetor. c. 2.

& Ho-

& Horatius hoc carmine confirmauit. In poet.

Verbaque prouisam rem non inuita sequentur.

Postea, ex parte finis; quoniam persuasio, sua natura, solis rebus & rationibus fit, vt docte docuit Aristoteles; non collocatione, non elocutione, non memoria, quæ omnia ex quadam auditorum prauitate ad persuadendum conferunt. Adde tertiam rationem ex difficultate sumptam; quia longe difficilius est inuenire, quid dicendum sit in quauis quæstione proposita, quod nemo præstare potest, nisi qui sit multarum rerum cognitione peritus; quam, vel disponere, vel ornare, vel memoriæ tradere, atque pronunciare. Huc facit, quod quæ inuenire oportet, sunt varia, atq; omnino diuersa; at collocandi, & exornandi ratio, non est ita varia. Denique, si vlla pars antecelleret inuentionem, certe elocutio: at elocutio sine rerum inuentione, est inanis, puerilis, & omnino vana. Quare, cum, vt Cicero ait, sine sententijs dicere sit insania, ex eodem concludere licebit, omnium eloquentiæ partium principem esse inuentionem. Li. 3. rhetor. c. 1. Trap. libro 5. In orat. Li. 1. de Inuen.

Quarta positio: Elocutio præstat cæteris eloquentiæ partibus in hoc, quod sit ei maxime propria. Hanc doctrinam confirmant illæ tres rationes, quas supra attulimus ad demonstran- Trapez. lib. 5.

monſtrandum hanc partem, alias antecellere. Eſt enim elocutio, quaſi forma quędam eloquentiæ, per quam oratio habet, vt a quouis alio ſermone diſtinguatur. Adde etiam, quod omnes aliæ partes aliqua ratione ſunt alijs artibus communes: at quod eſt apte & copioſe dicere ſolius eſt oratoris. Hoc enim ait Craſſus; eſt proprium oratoris, oratio grauis & ornata, & hominum ſenſibus, ac mentibus accommodata. Et Antonius; Sed quod cuiuſque ſit proprium; & ſi ex eo iudicari poteſt, cùm videris, quid quæque doceat: tamen, hoc certius nihil eſſe poteſt, quam quod omnes artes aliæ ſine eloquentia ſuum munus præſtare non poſſunt; Orator ſine ea nomen ſuum obtinere non poteſt: vt cęteri ſi diſerti ſint, aliquid ab hoc habeant; hic niſi domeſticis ſe inſtruxerit copijs, aliunde dicendi copiam petere non poſſit. Quod ſi dicas, elocutionem eſſe etiam communem poeticæ, id nihil eſt; quoniam maxime inter ſe diſtant hæc duo elocutionum genera. Denique, elocutio tota fere ex arte ipſa petitur: aliæ vero partes, ab ipſa etiam natura aliqua ratione pendent: vna tamen excepta diſpoſitione.

Libro 1. de Ora. — Libro 2. de Ora. — Ariſt. in poet. Et lib. 3. Rhet.

Quincta poſitio: Diſpoſitio in eo cęteris partibus præſtat, quod aliæ interdum natura bo-

ræ bonitate in nobis esse possunt: at vero recte disponendi facultas a sola arte, & prudentia, iudicioque proficiscitur: Adde etiam quod priuata quadam ratione alias partes iuuat, cum inuentioni formam, elocutioni lucem, memoriæ facilitatem, & actioni modum præbeant.

Sexta positio: Memoria, in eo alias partes antecellit, quod eas conseruet, custodiat, contineat, & sit veluti earum fundamentum. Hanc positionem confirmant rationes superius pro hac parte allatæ. Quare, nisi inuentis, excogitatisque rebus & verbis, memoria custos adhibeatur, omnia, etiam si præclarissima in oratore fuerint, facile euanescent. Libro 1. de Ora.

Septima positio: Pronuntiatio præstat alijs partibus in hoc, quod per eam ceteræ partes apparent, & in lucem veniunt, & oratorem plenum atque perfectum, ab ijs discernit, qui solum orationes scribunt: cum ante pronuntiationem Orator, sit tantum potestate, Orator. Et hoc fortasse voluit M. Tullius, cum actionem quasi eloquentiæ lumen appellauit: Huc etiam facit, quod quodammodo vitam ac spiritum orationi tribuit: cum sine actione oratio sit occulta, & sopi- Lib. de perf. ge. orat.

ta, & nullo suo fungatur munere: neque enim oratio animo inclusa delectat, aut mouet.

Octaua positio: post elocutionem, actio est maxime propria Oratori. Hoc non obscure significauit M. Tullius, cum eam quasi quandam corporis eloquentiam esse affirmauit. Atque de hac disputatione satis: neque enim rationes initio allatæ soluendæ sunt, cum ea, quæ posuimus confirment.

Quo ordine Rhetoricæ partes collocandæ sint, Disputatio X.

EXTREMA *nobis restat huius libri disputatio, in qua de ordine partium eloquentiæ breuiter agendum est; cum hac de re dicendi magistri aliquando mentionem fecerint. Et ne frustra suscepta esse videatur, rationibus quibusdam demonstrabo male a Scriptoribus eo ordine collocari, quo fere ab omnibus collocari solent.*

Primum, statim post inuentionem opus est memoria, qua quæ inuenta sunt conseruentur: quia, si effluerent, disponi, & exornari non possent: male igitur in quarto reponitur loco.

Cap. 1. *Deinde, Aristoteles, quem nemo vnquam*

in rebus

in rebus collocandis superauit, prius egit de actione, quam de elocutione, vt patet ex libro tertio suæ rhetorices; vbi non nulla de actione docet, & postea latius de elocutione scribit, igitur: Adde etiam quod postremo loco agit de dispositione.

Postea, quæ de pronuntiatione & actione traduntur præcepta, debent memoriæ mandari: igitur memoria erit postremo loco ponenda, cum sint omnium partium custos.

Denique, partes collocandæ sunt iuxta ordinem dignitatis: at si hunc ordinem spectemus, alia profecto ratione, vt ex proxima disputatione apparet, collocandæ erunt; igitur.

Quod ad opiniones attinet, quidam, vt Fabius refert, ob primam rationem a nobis allatam, existimarunt memoriam secundo loco ponendam esse. Et alij fortasse ob secundam dicerent ei quinctam deberi sedem: quibus fauere posset M. Tullij auctoritas in partitionibus, vbi eam in postremo loco posuit: nam cum omnes numerasset partes, dixit, earum omnium custos est memoria: At vero communis Scriptorum opinio ei quartum tribuit locum. Libro 1. cap.

Vt huic dubitationi breuiter satisfaciamus,

primum notandum est, quattuor modis vnam rem posse esse priorem, vel posteriorem alijs, quos supra in quarta disputatione explicuimus, scilicet natura, quo modo caussa est prior suo effectu: tempore, vt elapsa hora, hac presenti: ordine, seu collocatione, quo pacto vnus numerus est prior alio: & perfectione, seu dignitate, qua ratione Imperator est prior milite. In presentia est precipua dubitatio de primo modo.

Notandum deinde est duplicem esse memoriam, alteram naturalem, alteram vsu & arte acquisitam; quæ vt supra docuimus oratori apte, copioseque dicere volenti, est maxime necessaria: ac proinde in partibus eloquentiæ numeratur. Artificiosa autem, ac perfecta memoria indiget Orator potissimum ad res inuentas, distributas, & exornatas, & integra oratione comprehensas, perdiscendas: qua, & si ea etiam complectitur, quæ de pronuntiatione traduntur præcepta; tamen ista quauis etiam mediocri memoria continere posset. Ex quibus intelligi licet, memorandi facultatem ipsam præcedere actionem, atque eam conseruare prout agendi præcepta memoria continentur. His notatis, per has positiones propositæ difficultati satisfacio.

Prima

Prima positio: Inter partes eloquentiæ aliquis constituendus est ordo. Nam, vbi multa in vnum conueniunt, si illa inter se perfectione, & dignitate differant, ibi necessario aliquis adhibendus est ordo, vt omnis tollatur confusio, quæ a quacunque arte remouenda est.

Secunda positio: Si spectemus ordinem naturæ, eloquentiæ partes sunt ita constituendæ, vt primo loco sit inuentio, secundo dispositio, tertio elocutio, quarto memoria, quincto pronuntiatio. Quoniam, ita hæ partes sunt inter se affectæ, vt inuentio non pendeat ab alijs, & dispositio pendeat ab inuentione, non autem ab elocutione, quæ non potest esse absque inuentione, & collocatione: memoria autem orationem iam factam supponit, & actionem antecedit, cum id pronuntiatione exprimamus, quod memoria comprehensum fuit.

Tertia positio: Si spectemus ordinem perfectionis, qua ratione hæ partes collocari debeant, ex proxima disputatione patet: vbi de harum partium dignitate diximus: propterea nihil est, cur hanc positionem pluribus confirmemus, aut explicemus.

Quarta positio: Si spectemus temporis ordinem,

dinem, certum est aliquas partes fuisse prius inuentas & perfectas, quam alias; vt patet de elocutione, actione, & memoria, quæ partes, diuersis temporibus fuere repertæ, & ad perfectionem redactæ; vt latius demonstrabitur cum de singulis priuatim agemus: vbi, & quando, & a quibus fuerint inuentæ docebimus. De ordine positionis, siue loci, nihil dicimus, cum hæ partes nullum occupent locum. Restat ergo, vt allata soluamus argumenta.

Arist. li. 3. rhet. cap. 1.

Primum, nihil necessario concludit; quoniam non egemus illa artificiosa, & maxima memoria ad retinenda ea, quæ inueniuntur; sed sufficit memoria a natura tributa.

Neque Aristotelis auctoritas vrget, cum hic auctor ex professo de actione non egerit: sed solum docuit hanc partem magnam vim habere, & necessariam esse ob auditorum prauitatem, & esse minus artificiosam, quam elocutionem, de qua diligenter scripsit. De dispositione egit posteriore loco, quia de ea pauciora dicturus erat. Vir quidam doctus & multum in Aristotelicis scriptis versatus, cum de hac difficultate cum eo Patauij sermonem habere, hac vtebatur solutione. Aiebat itaque Aristotelem considerasse orationem,

tionem, vt auditorem respicit: & quia auditor prius pronuntiationem, quam elocutionem, & dispositionem cognoscit, ideo prius de actione disseruit: quæ responsio si firma esset ex ea profecto inferre liceret, Aristotelem debuisse prius disputare de actione, quam de inuentione, cum tamen priore loco de inuentione, de locis nimirum, vnde enthymemata eruuntur, primo, & secundo libro egerit. Sed, vt diximus, cum hic auctor solum de tribus partibus ex professo scripserit, de illis egit prius, quæ erant explicatu difficiliores, & de iis, de quibus sibi plura dicenda esse statuit: Denique, nihil est necesse vt is in rerum explicatione semper seruetur ordo, qui in earum collocatione eis tribuendus est.

Tertia ratio, quo pacto soluenda sit, satis ex dictis patet: & speciatim ex allata de duplici memoria distinctione.

Postremum argumentum probat id, quod in tertia positione diximus, nimirum alio pacto has partes esse collocandas, si perfectionis ordinem spectemus. Et hic sit huius disputationis, & huius libri finis: in quo explicando fusius, latiusque stylus excurrere potuisset, si multo plura, quam feci afferre,&

re, & quæ attuli subtilius examinare voluissem: sed ea afferre placuit, quæ essent scitu magis necessaria, & rem magis continerent, & ita explicare, vt facile a iuuenibus percipi possent. Sed diligens præceptor, quæ a me breuitatis caussa, fuerunt, pro meo instituto, strictius comprehensa latius explicare poterit.

Finis Libri Secundi.

Laus Deo Opt. Max. & B. Virginis Annuntiatæ.



INDEX

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Cicero

Inuentio

Opera-

Ordo

Res

Rheto-

Sophi-

Finis Indicis Rerum Notabilium.

INDEX AVCTORVM, qui in hoc opere citantur.

M. An-

Quæ leuiora irrepserunt menda, cum lectionis cursum impedire nequeant, ea Lectoris indicio emendanda relinquuntur.

VENETIIS,

Apud Ioannem Baptistam Natolinum. 1589.

Sumptibus Damiani Zenarij.